This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

LT
12
8

L † 12.5

Harvard College Library

FROM

Prof. W. W. Goodwin

TIRONIANA

ET

MAECENATIANA

SIVE

M. TULLII TIRONIS

ET

C. CILNII MAECENATIS

OPERUM FRAGMENTA QUAE SUPERSUNT

COLLEGIT AC DE VITA ET MORIBUS UTRIUSQUE SCRIPSIT

ALBERTUS LION,

PHIL. DR. IN ACADEMIA GEORGIA AUGUSTA PRIVATIM DOCENS.

Edit. II. auctior et emendatior.

GOTTINGAE

IN COMMISSIS APUD VANDENHOECK ET RUPRECHT.

MDCCCXLVI.

Lt 12.8

VIRO ILLUSTRI

CAROLO FRIDERICO HERMANNO

ELOQUENTIAE PROFESSORI

P. S. D.

ALB. LION.

Tironiana et Maecenatiana mea iterum editurus, Tecum, Vir Illustris, consilium communicavi. Tu, non solum assensu Tuo comprobare, sed extemplo libros complures ex bibliotheca Tua insigni tradere, alios nominare, unde haurirem, quae ad opuscula perfectiora reddenda facerent. Quam humanitatem et erga me benignitatem, quas quidem quavis alia quoque opportunitate mihi meisque jam satis superque ostendisti, quanti faciam, verbis dicere non possum. Liceat vero hoc loco mirificas Tibi publice dicere gratias et ex Te petere ut haec commentariola qualiacunque, quae certo non ex omni parte neque Tibi neque aliis VV. DD. satisfacient, quamvis omnem dedi operam, ut

paullulo emendatiora prodirent, benigne tamen excipias. Ac Tironiana quidem a. hujus saec. XXIV. primum edidi in *Seebodii*, V. Clar., Diario (*Philol.-Paedagog. Archiv* Fascic. 2. p. 246 sqq.). Viginti duobus annis, qui ex illo inde tempore elapsi sunt, *Tironis* vitam fuerunt quidem, qui obiter occasione data exponerent [1]), at qui ex professo, nemo; hinc factum est, ut, quod ad eum attinet, pauca tantum haberem, quae adderem. De *Maecenate* autem eo plures VV. DD. vel obiter vel ex professo scripserunt [2]), ita ut multa essent, quae ad hominem accuratius cognoscendum congererem. Abstinui tamen a nimis multis additamentis, ne quod item ante 22 annos maxime, ne dicam unice spectavi consilium, plurimis VV. DD. haud improbatum [3]), irritum fieret. Legeram enim aliquando *Fr. A. Wolfii* Analecta, incideram in locum illum, ubi, *Maecenatis* mentione oborta, vitam hominis atque fragmentorum quae dicunt collectionem desiderari dicit [4]). Statim ejuscemodi mihi placuit propositum.

---

1) Cf. ad quos ablegavi p. 1. not. 2. fin. p. 4. not. 2. p. 7. not. 2. p. 13. not. 6. al.

2) Vid. inprimis p. 17. et alibi.

3) Vid. *Chr. Dan. Beck*, *Repertor. d. Literat.* 1824. T. II. p. 197. *Moser* V. Cl. in *Heidelb. Jahrbb.* 1825. p. 412 sqq. al.

4) „Etenim, ait (*Litterarische Analekten* V. 1. p. 267.), parum norunt Maecenatem, qui eum ex compendiis literarum historicis norunt, ut *Harlesii* (Introduct. in histor. Liter. Roman. T. 2. p. 336 sqq.) qui ne Senecae quidem judicia attulit, aliaque erravit, quae olim docto adolescenti facilem scribendi ma-

Quanquam vero *Maecenatis* carmina et quae alia scripsit, non permagni esse facienda, facili pacto intellexi, oratio tamen viri tam clari cujusmodi sit, quam indolem prae se ferat, probabiliter perspicere, operae pretium esse videbatur. Accedit quod, si quis alius, Maecenas optime ex scriptis cognoscitur; propterea omnia, quotquot supersunt, operum fragmenta, ante oculos habere, multum interesse putabam. Horis igitur subsecivis, quas negotio, quo jam per viginti annos et quod amplius est panis quaerendi et familiae sustentandae causa perfungor, subtrahere mihi licebat, quaecunque ad *Maecenatem* spectabant, sedulo collegi. Atque satis magna subsidiorum copia instructus ad opusculum, non levis illud operae et studii, me accinxi. Qui antea de *Maecenate* scripserant, maxime in vita ejus enarranda, additis multis aliis rebus, quae ad illorum temporum historiam spectant, operam posuerant. Equidem hanc viam ingrediendam esse censebam, ut primum §. 1. eos recenserem, qui adhuc de *Maecenate* scripserunt, deinde §. 2. ejus vitam et mores exponerem, tum §. 3. de *Maecenatis* domo, villis, hortis, aliisque dicerem, §. 4. de scriptis disputarem, eorumque fragmenta digererem, atque ultimo loco §. 5. de meritis, quae de literarum studiis habuerit, dicerem. Literariam igitur rem maxime ob oculos habui; librum amplum conscribere

---

teriam praebere poterunt colligendorumque fragmentorum eum ad modum, quo *Burmannus Secundus* instituit (Anthолog. Lat. II. infra II.) quamquam perpauca adhuc latent."

nolui, quippe quem in tanta librorum historicorum eorumque egregiorum copia, qui hominis, de quo sermo est, vitam etc. optime exposuerunt, inutilem esse intelligerem, quod hodie etiam magis valet, quam eo tempore, quo primum Maecenatiana publicavi. Ista vero, quae jam Tibi tradere audeo, opuscula duo uno volumine conjuncta, novis quidem curis limata, at tamen non perpolita, indulgenter ut excipias, Te iterum iterumque rogatum esse volo. Vale mihique favere perge.

Scr. Gotting. mens. Maio
MDCCCXLVI.

Tironiana.

M. Tullium Tironem fuisse servum, et, quum adolevisset, libertum M. Tullii Ciceronis, eumque non solum oratori Romano, sed etiam fratri, filio, Attico, aliis, carissimum, nemo est qui ignoret, dum modo Ciceronis epistolas aliquando manibus triverit. Praeterea autem nihil fere de homine cognitum habere solet vulgus, quamvis et propter ingenium atque mores, quibus excelluit, et propter scripta, quae satis copiosa et docta edidit, dignus est, qui inter praeclaros antiquitatis viros haud ultimum locum obtineat.

Fata autem Tironis investiganti pauca tantum sese offerunt, quae notiorem eum nobis reddant, quod sane in tam egregio homine magnopere dolendum. Unicus fere atque praecipuus fons, unde ista haurias, sunt Ciceronis epistolae; paucula ex aliis scriptoribus [1]) petere licet. His subsidiis Vir doctus, qui disputationem de Tirone [2]) scripsit, ita usus est, ut vix quidquam

1) Quae Suetonius in libro de illustribus rhetoribus de Tirone tradiderat, cum aliis interierunt, quod sane est quod doleamus. Cf. *Westermann*, *Gesch. d. Beredsamk.* II. p. 273. not. 35.

2) Integra haec est inscriptio: Disputatio historico-critica de M. Tullio Tirone, M. T. Ciceronis liberto, quam, quod deus bene vertat, praeside *Dav. Jac. van Lennep* V. Cl. jur. utr. D. et in ill. Amstel. Athenaeo Histor. Eloq. Poes. Antiq. Litt. Graec. et Lat. Profess., ad publicam disceptationem proponit *Jo. Conr. d'Engelbronner*, Amstelodamo-Batavus. 1804. Amstel. ap. Petrum den Hengst et Filium. 4. pagg. 84. — Praeter auctorem disputationis de Tirone de hoc egerunt *Jo. Christian. Klotz.* Disputationes Acadd. II. de virtutibus in Tirone laudatis

desideres. Hoc fortasse illi vitio vertas, quod nimis copiose et fuse rem suam pertractavit, quod tamen legenti haud ingratum acciderit. Hunc disputationis ordinem aptissimum judicavit ille, ut in tres partes eam divideret, quarum prima agit de vita et rebus Tironis; cujus partis sunt capp. 4.: 1) de Tironis nominibus. 2) de patria et aetate Tir. 3) de vita Tir., deque M. Tul. Ciceronis aliorumque epistolis ad eum spectantibus. 4) de Tironis et Ciceronis amicitia non temere calumniis petenda. Pars altera quinque constat capitibus: 1) de studio Tironis in colligendis edendisque libris patroni. 2) de libris a Tir. scriptis. 3) de libris Tironi suppositis. 4) de Tirone Notarum inventore. 5) de Notarum collectionibus Tironis nomine insignitis. Pars tertia agit de aliis Tironibus. Quum aliud equidem in hisce conscribendis consilium, atque Vir ille doctus, sequerer, alium quoque ordinem institui. Hoc enim inprimis volebam, ut Tiro, et quod ad mores ingeniumque pertinet, et quod ad scripta eorumque fragmenta spectat, magis innotesceret. Quare primo loco Tironis vitam paucis exponendam, deinde de libris a Tirone scriptis disserendum esse censui, et fragmenta ordine deinceps componenda; tum nonnulla de libris falso illi tributis dicenda, atque de Notis quae dicuntur Tironianis; postremo de studio Tironis in colligendis edendisque scriptis Ciceronis disputandum.

§. 1. *De Tironis vita, moribus et ingenio.*

Quae de vita, moribus atque ingenio Tironis nobis innotuerunt, haec fere sunt: *Tiro* [1]) verna Ciceronis

---

et de vitiis in Tir. notatis. Vitenb. 1727. 4. (a Schützio laud.); *Vossius* de histt. Latt. I. p. 84.; *Harles* Introduct. in hist. Literat. Roman. P. II. p. 179. et, quem hic laudavit, *Funcc.* de Virili Aetate L. L. P. I. p. 50. P. II. p. 373. *Heeren*, de Fontib. Vitar. Plut. p. 184 sqq. *Schütz* et *Orelli* Onomastic. Cicer. v. Tullius Tiro; *Drumann*, *Gesch. Roms* etc. T. VI. p. 405 sqq.; *Reinhold. Klotz*, *Handb. d. latein. Litteraturgesch.* Lips. 1846. Vol. I. p. 90 sqq.

1) Fuerunt qui Tyro, *Τύρων*, scriberent hoc nomen (cf. Gell. N. A. V. 1. p. 369. §. 6. ed. meae); sed nulla idonea

fuisse videtur, a quo ab ineunte aetate, ut Gellius auctor est, liberaliter est institutus [1]). Graecum eum hominem non fuisse, sed Romanum, vel ex Ep. ad Div. 16, 4. facile intelligas (*Lyso enim* etc. *quia omnes Graeci*). Quo tempore natus fuerit, non constat; neque annum facile definiveris ex Hieronymi loco, qui in Chronic. Euseb. ad Olymp. CXCIII. annum 4. u. c. 749. scribit: „M. Tullius Tiro, Ciceronis libertus, qui primus notas commentus est, in Puteolano praedio usque ad centesimum annum consenuit." Hinc si Olymp. 169. natum dicere eum volueris, duobus vel tribus annis Cicerone junior fuit; quod vix concedere possis [2]). Quando a patrono suo manumissus fuerit, ne hoc quidem certo constat. Referre tamen huc possumus Epistolam Quinti Ciceronis ex Gallia s. Britannia, quum Caesaris legatus esset, scriptam, a. u. c. 699 [3]). Quum Cicero proconsul Ciliciam provinciam adiret, eum comitatus est Tiro. cf. ad Div. 16, 4. provincialia officia; ad Att. 5, 20: quod meus ad te Alexis (Tiro) facit [4]). Revertens in itinere in morbum gravem incidit Tiro a. u. c. 703., ita ut Cicero Patris, quae Achaiae urbs erat, eum relinquere cogeretur; qua

---

causa permoti; contra quos pluribus disputavit disputationis auctor p. 3 et 4. Idem p. 83 et 84 de pluribus Tironibus tractat; qui quidem sunt: *Numisius Tiro* apud Cicer. et Hist. de Bell. Afric., *Tiro Sabinus* apud Plin. N. H. (cf. infr. Maecenatiana §. 4, 21.), *Calestrius Tiro* in Plin. Epist., *Aemilius Tiro* apud Ulpian., *Attius Tiro Delphidius*, Rhetor, in Auson. Epigram.; quibus addo plures, quos memorant inscriptiones apud Graev. p. 84, 2. 89, 5. 150, 4. 302, 1. 520, 2. 566, 7. 820, 11. 1157, 6. 1135, 6. Adde etiam *Apinium Tironem* apud Tacit. histor. 5, 57. 76.

1) cf. Cic. Ep. ad Div. 16, 3. et 16. Gell. 7, 3, 8. et 13, 9. *Wieland.* ad Cic. Ep. lib. 10. Ep. 31. Vol. 4.

2) cf. Epist. ad Att. 6, 7: nihil illo *adolescente* castius. 7, 2: *adolescentem*, ut nosti. Gell. 7, 3.

3) Ad Div. 16, 16. cf. quoque epist. 14 scriptam Id. April. u. c. 699 in Cumano, ubi Cicero Tironi: Conserva te mihi, dies promissorum adest; quem etiam repraesentabo, si adveneris; intelligunt diem manumissionis promissae. Post a. 59 a. Chr. manumissum dicit *Drumann* T. VI. p. 406.

4) v. *Wieland* ad h. l. cf. Ep. ad Att. 12, 10.

quidem de re Atticum certiorem facit [1]) his verbis: Tironem Patris reliqui, adolescentem. ut nosti, et adde, si quid vis. probum: nihil vidi melius. Itaque careo aegre. Qui quidem locus praeter alios multos amorem Ciceronis inprimis probat; qui profecto talis fuit, ut nescias, utrum magis mireris: utrum oratorem Romanum, qui servum s. libertum adeo dilexit, ut neminem fortasse amicorum, a T. Pomponio Attico si discesseris, magis diligeret, an Tironem ipsum, qui talis tantusque, eo ingenio eaque indole erat, ut illo mirifico amore dignum sese redderet [2]). Inter *suos* refert Cic. [3]). Causam morbi investigare si vellem, ridiculum sane facerem; hoc tamen adjungere liceat, bonam Tironis valetudinem nimia et animi et corporis opera Ciceroni navata saepius numero depravatam fuisse videri; quod innuit ipse Cic. Epist. ad Div. 16, 14.: literas, ante, quam te videro, attingere non possum. — Audio te animo angi. 18.: Indulge valetudini tuae; cui quidem tu adhuc, dum mihi deservis, servisti non satis. 21, sub fin.: Excusationem angustiarum tui temporis accipio; scio enim, quam soleas esse occupatus. Quum e primo [4]) illo morbo convaluisset, in Italiam rediit, et cum Cicerone vixit. A. u. c. 704 altero morbo afflictus est [5]). A. u. c. 707 ter-

1) Ep ad Att. 7, 2.

2) cf. Epist. ad Div. 16, 1. 2. 3, fin. 4. 6. 10. Literulae nostrae etc. 14. 17. 20. 22. 27, fin. ad Att. 7, 5. 8, 5, fin. 9, 17, fin. cf. *Abeken, Cicero in seinen Briefen. Hannov.* 1835. p. 239 sqq.

3) v. Ep. ad Div. 13, 20. Adde Epigr. Cic. in Tiron. ap. Plin. Epist. 7, 4. Ex hoc Epigrammate fuerunt, qui Tironem turpiter a Cicerone amatum esse colligerent. Dubium vero est, utrum a Cicerone ipso istud profectum sit, quum ab inimico Ciceronis prolatum est. Atque si est Ciceronis (*Galli* censet fuisse *Drumann.* Vol. VI. p. 406. not. 51.), lusus ejus esse potuit; neque enim oratori Romano tale vitium impingere jure aliquo queas.

4) Primum morbum Tironis referre etiam possis ad a. 699; si quidem illuc referre malueris epistolas Cic. ad Div. 16, 10. 13. 14. 15. Res omnino dubia; nec tanti est, ut diutius nos moretur. cf. *Andr. Hoier*, de M. Tullii Tironis morbis et epistolarum ad eum datarum temporibus. Slesvici 1747. 4.

5) V. ad Att. 6, 7. 10, 4. fin.

tio morbo affectus videtur [1]). Insequenti tempore vel Romae vel ruri, vel cum Cicerone vel solus commorabatur; quae ex epistolis intelligere facili pacto licet [2]). Ciceroni superstes scriptorum ejus vindex et sospitator erat, et ipse post illius obitum suos libros conscripsisse atque cum Ciceronis edidisse videtur. — Amicis, dum vivebat, usus est inprimis his: Quinto Cicerone [3]), Terentia [4]), Cicerone filio [5]), Attico [6]), Mescinio Ciceronis quaestore [7]), M. Curio [8]), Aulo Varrone [9]), aliis [10]).

De ingenio et moribus hi sunt loci Ciceronis, quibuscum conferas, quos supra excitavimus Gellii. Ad Div. 16, 1: pro tuo *ingenio*. 16, 4: Innumerabilia etc. 16, 9: Tuam *prudentiam, temperantiam* etc. novi. 16, 26: *et vera et dulcia* tuis epistolis nuntiantur; ibid.: Non potes effugere hujus culpae poenam *te patrono* [11]). Ad Att. 7, 2. §. 3: adde, si quid vis, *probum*. Ad Div. 16, 5, init.: Vide, quanta sit in te *suavitas*. 16, 9: Quum *pudori* tuo maluisti obsequi. 16, 12: *Operam et fidelitatem* desideravi tuam. 16, 16: Si enim mihi Statii *fidelitas* est tantae voluptati: quanti esse in isto (Tirone) *haec eadem bona* debent, *additis literis, sermonibus, humanitate?* 16, 14: Excita ex somno tuas literas *humanitatemque*, propter quam mihi es carissimus. Ad Att. 7, 5. (v. §. 4.) Ibid. 9, 17, fin.: in hac enim fortuna perutilis ejus (Tironis) *et opera et fidelitas* esset. Ad Div. 16, 21: fructum magnum *humanitatis* tuae capiebam ex silentio mearum literarum. 16, 24: non quin confiderem *diligentiae* tuae. Ad Att. 6, 7: *Nihil illo adolescente ca-*

---

1) V. ad Att. 12, 10. ad Div. 16, 17. 19. 20. 22.

2) Ad Att. 12, 5. §. 5. 34. 49. 57. 15, 12. 15 sub fin. 16. 17, fin. 18. ad Div. 16, 21. ad Att. 16, 13. cf. *Cicero's Briefe übers. v. Wiel . . . Graefer* V. 7. p. 118.

3) Epist. ad Div. 16, 8. 16. 26. 27. — 4) 16, 9. —

5) 16. 21. 25. ad Att. 15, 15 sub fin. — 6) Ad Att. 7, 5. —

7) Ad Div. 16, 4. — 8) Ad Div. 7, 29, fin. —

9) 16, 12, sub fin. — 10) 16, 4: Sic habeto etc. Nemo nos amat, qui te non diligat.

11) cf. ad Att. 13, 25, fin.

stius, nihil diligentius. Ad Div. 16, 11: id quod *humanitatis* tuae est. Ad Att. 8, 6: Malo Tironis *verecundiam* in culpa *esse*, quam illiberalitatem Curii.

§. 2. *De Tironis libris.*

Libros fere hosce conscripsit Tiro: 1) De vita Ciceronis. 2) De jocis Ciceronis. 3) Pandectas. 4) De usu atque ratione linguae Latinae. 5) Varias quaestiones. 6) Epistolas. Horum librorum fragmenta jam deinceps exhibemus.

1. *De vita Ciceronis.*

a) *Asconius Pedianus* ad Cicer. Orat. pro Mil. p. 49. Bait. Orell. c. 14. p. 200 ed. Lugduno-Bat.:

De oppugnata domo (L. Caecilii) nusquam adhuc legi; Pompejus tamen, quum defenderet Milonem apud populum, de vi accusante Clodio, obstitit. Et legimus apud *Tironem*, libertum Ciceronis, in *libro quarto de vita ejus* „oppressum a Clodio L. Caecilium praetorem."

b) *Scriptor Dialogi de Oratorr.* sive de causis corruptae eloq. c. 17, 2:

Ut de Cicerone ipso loquar, „Hirtio nempe et Pansa Coss.", ut *Tiro* libertus ejus scripsit, „septimo Idus Decembris occisus est, quo anno Divus Augustus in locum Pansae et Hirtii se et Q. Pedium consules suffecit [1])."

c) *Gellius* Noctt. Att. 4, 10, 5:

C. Caesar in consulatu, quem cum M. Bibulo gessit, quattuor solos extra ordinem rogasse sententiam dicitur; in iis quattuor principem rogabat M. Crassum; sed postquam filiam Cn. Pompejo desponderat, primum coeperat Pompejum rogare. Ejus rei rationem reddidisse eum senatui *Tiro Tullius*, M. Ciceronis libertus, refert: itaque se ex patrono suo audisse scribit [2]).

1) Cf. *Ph. C Hess.* ad Tac. Dial de Oratt. Lips. 1841. p. 103. *Cicero's Briefe von Wieland* V. 7. p. 472.

2) Haec e vita Ciceronis a Gellio petita esse, probabile esse videtur.

d) *Plutarchus* vita Cic. c. 41.

Αὗται γὰρ εἰσιν αἱ λεγόμεναι τῆς διαστάσεως εὐπρεπέσταται προφάσεις. Τῇ δὲ Τερεντίᾳ καὶ ταύτας ἀρνουμένῃ λομπρὰν ἐποίησε τὴν ἀπολογίαν αὐτὸς ἐκεῖνος, μετ' οὐ πολὺν χρόνον γήμας παρθένον, ὡς μὲν ἡ Τερεντία κατεφήμιζεν, ἔρωτι τῆς ὥρας, ὡς δὲ Τίρων, ὁ τοῦ Κικέρωνος ἀπελεύθερος, γέγραφεν, εὐπορίας ἕνεκεν πρὸς διάλυσιν δανείων. Ἦν γὰρ ἡ παῖς σφόδρα πλουσία κ. τ. λ.

e) Idem *Plut.* l. l. fin. c. 49.

Οὕτω γὰρ ἔνιοι τῶν συγγραφέων ἱστορήκασιν· ὁ δ' αὐτοῦ τοῦ Κικέρωνος ἀπελεύθερος, Τίρων, τοπαράπαν οὐδὲ μέμνηται τῆς τοῦ Φιλολόγου προδοσίας [1]).

2. *De jocis Ciceronis* [2]) libri III.

a) *Quintilianus* Institt. Oratt. 6, 3, 5:

Utinamque libertus ejus (Ciceronis) *Tiro*, aut alius quisquis fuit, qui *tres hac de re libros* edidit, parcius dictorum numero indulsissent, et plus judicii in eligendis, quam in congerendis studii adhibuissent.

b) *Macrobius* Saturnal. 2, 1:

Cicero autem quantum in ea re (jocorum venustate) valuerit, quis ignorat, qui vel *liberti* ejus *libros, quos is de patroni jocis composuit*, quos quidam ipsius putant esse, legere curaverit [3])?

c) Schol. Bob. pro Sestio p. 309. Bait. Fragmm. p. 571.:

Dictum de Leone gladiatore *Tullius Tiro* libertus inter *jocos Ciceronis* adnumerat.

3. *Pandectae* [4]).

a) *Gellius* Noctt. Att. 13, 9:

---

1) cf. *Heeren*, de Fontibus vitar. Parall. Plutarch. p. 184 seqq.

2) cf. *Egger*, Examen crit. des Historiens anciens de la vie et du regne d'Auguste. 1844. p. 86 sq. *Westermann*, *Gesch. d. Bereds.* II. p. 175.

3) Plures deinceps enarrat Macrobius Ciceronis jocos, quos ex Tironis libris excerptos probabiliter statuas. cf. Plutarch. l. l. et *Heeren*. l. l.

4) cf. *Lersch*, *Sprachphil. d. Alten*. II. p. 46. *Drumann*. VI. p. 409.

Tullius Tiro, M. Ciceronis alumnus et libertus, adjutorque in literis studiorum ejus fuit. Is libros complures de usu atque ratione linguae latinae, item de variis atque promiscuis quaestionibus composuit: in iis esse praecipui videntur, quos Graeco titulo *Παν δέκτας* inscripsit, tanquam omne rerum atque doctrinarum genus continentis. Ibi de iis stellis, quae appellantur suculae, hoc scriptum est: „Adeo, inquit, „veteres Romani literas Graecas nesciverunt, et rudes „Graecae linguae fuerunt, ut stellas, quae in capite „Tauri sunt, propterea suculas appellarint, quod eas „*ὑάδας* Graeci vocant, tanquam id verbum Latinum „Graeci [verbi] interpretamentum sit: quia Graeci *ὗες*, „sues Latine dicantur. Sed *ὑάδες*, inquit, *οὐκ ἀπὸ* „*τῶν ὑῶν*, id est, non a suibus, ita ut nostri opici [1]) „putaverunt, sed ab eo, quod est *ὕειν*, appellantur; „nam et quum oriuntur et quum occidunt tempestates „pluvias largosque imbres cient; pluere autem Graeca „lingua *ὕειν* dicitur." Haec quidem *Tiro* in *Pandectis* [2]).

b) *Sosipater Charisius* Institutt. Gramm. II. p. 186 ed. *Putsch.* 123 ed. *Lind.*:

Novissime *Tiro* in *Pandecte* [3]) non recte ait dici, adjicitque, quod sua coeperit aetate id adverbium; ubi Flavius Caper de Latinitate, miror, inquit, id dixisse *Tironem*, cum Valerius Antias libro secundo: Mater cum novissime aegrotasset etc.

Ex his Pandectarum libris hausit fortasse

c) *Gellius* Noctt. Att. 12, 3, 3:

Tiro Tullius, M. Ciceronis libertus, lictorem vel a limo vel a licio dictum scripsit. „Licio enim transverso, quod limum appellatur, qui magistratibus, inquit, praeministrabant, cincti erant." Si quis autem est, qui propterea putet probabilius esse, quod *Tiro* dixit, quoniam prima syllaba in lictore, sicuti in licio,

---

1) cf *Klotz* l. c. p. 222. not. 116.

2) Quae his opposuit Gell., v. apud ipsum §. 5 sqq. cf. Cicer. de Nat. D. 2, 43. Plin. N. H. 18, 26.

3) i. e. in uno Pandectarum libro; nisi forte legend. *pandectis. Auct. dissertat.*

producta est, et in eo verbo, quod est ligo, correpta est, nihil ad rem istuc pertinet; nam etc. [1]).

4. 5. *De usu atque ratione linguae Latinae* [2]). *De variis atque promiscuis quaestionibus;* quorum librorum partem effecisse videntur Pandectae. V. Gell. 13, 9, 2. supr. 3. *a.*

6. *Epistolae* [3]).

a) *Gellius* Noctt. Att. 7, 3, 8:

Tiro Tullius, M. Ciceronis libertus, sane quidem fuit ingenio homo eleganti, et haudquaquam rerum literarumque veterum indoctus: eoque ab ineunte aetate liberaliter instituto adminiculatore et quasi administro in studiis literarum Cicero usus est. Sed profecto plus ausus est, quam ut tolerari ignoscique possit. Namque *Epistolam* conscripsit *ad Q. Axium,* familiarem patroni sui, confidenter nimis et calide, in qua sibimet visus est orationem istam (M. Catonis) pro Rhodiensibus [4]) acri subtilique [ingenio et] judicio percensuisse. Ex ea Epistola libitum forte nobis est reprehensiones ejus quasdam attingere: majore scilicet venia reprehensuri *Tironem,* quam quum ille reprehenderit Catonem. Culpavit autem primum hoc, quod Cato inerudite et *ἀναγώγως,* ut ipse ait, principio nimis insolenti nimisque acri objurgatorio usus sit; quum vereri sese ostendit, ne Patres, gaudio atque laetitia rerum prospere gestarum de statu mentis suae deturbati, non satis consiperent; neque ad recte intelligendum consulendumque essent idonei. „In principiis „autem," inquit, „patroni, qui pro reis dicunt, con„ciliare sibi et complacare judices debent: sensusque „eorum exspectatione caussae suspensos rigentisque

1) Ex iisdem fortasse nonnulla sumsit *Plinius* Nat. Hist., qui inter auctores libri secundi memorat etiam *Tullium Tironem;* sed ibi edd. vett. exhibent: *Tullio Cicerone.* (v. *Harduin.* ad Plin. I. T. I. p. 36 ed. *Franz.* add. Plin. XVIII, 66. T. VI. p. 215.

2) cf. *Lersch, Sprachphilos. der Alten.* Bonn. 1838. I. p. 146.

3) cf. *Egger* l. l. *Klotz* l. l. p. 91.

4) Vid. Catoniana mea p. 25.

„honoribus verecundisque sententiis communicere, non „injuriis atque imperiosis comminationibus confutare.“ Ipsum deinde principium apposuit *Tiro*, cujus verba haec sunt: Scio solere plerisque hominibus rebus secundis atque prolixis atque prosperis animum excellere, atque superbiam atque ferociam augescere atque crescere, quod nunc mihi magnae curae est, quod haec res tam secunde processit, ne quid in consulendo adversi eveniat, quod nostras secundas res confutet: neve haec laetitia nimis luxuriose eveniat. Adversae res se domant, et docent, quid opus sit facto. Secundae res laetitia transvorsum trudere solent a recte consulendo atque intelligendo. Quo majore opere dico suadeoque, uti haec res aliquot dies proferatur, dum ex tanto gaudio in potestatem nostram redeamus. „Quae deinde Cato juxta dicit, ea, inquit (*Tiro*), con„fessionem faciunt, non defensionem: neque propul„sationem, translationemve criminis habent, sed cum „pluribus aliis communicationem: quod scilicet nihil „ad purgandum est. Atque etiam, inquit, insuper „profitetur, Rhodienses, qui accusabantur, quod ad„versus populum Romanum regi magis cupiverint fa„verintque, id eos cupisse atque favisse utilitatis suae „gratia, ne Romani, Perse quoque rege victo, ad „superbiam ferociamque et immodicum modum inso„lescerent.“ Eaque ipsa verba [Catonis, in *Epistola ad Axium*] ponit [*Tiro*], ita ut infra scriptum [est]: Atque ego etc. [1]). Pergit Gellius §. 26.: Postea verba haec ex eadem oratione ponit (*Tiro*): Ea nunc derepente tanta [nos] beneficia ultro citroque, tantam amicitiam relinquemus? quod illos dicimus voluisse facere, id nos priores facere occupabimus? „Hoc, in„quit, enthymema nequam et vitiosum est. Respon„deri enim potuit, occupabimus certe: nam si non „occupaverimus, opprimemur, incidendumque erit in „insidias, a quibus ante [nos] non caverimus. Recte„que, inquit [*Tiro*], hoc vitio dat Lucilius poetae Eu-

1) Quae jam sequuntur verba Catonis, deinde Gellii ad defendendum Catonem, longum erat, hic adjungere. Plura etiam adversus Gellium pro Tirone protulit dissertationis scriptor; quibus hic deerat locus.

„ripidae, quod, cum Polyphontes rex propterea se in-„terfecisse fratrem diceret, quod ipse ante de nece „ejus consilium cepisset, Meropa fratris uxor hisce „eum verbis eluserit:

„*Εἰ γάρ σ' ἔμελλεν, ὡς σὺ φῄς, κτείνειν πόσις,*
„*Χρὴ καὶ σὲ μέλλειν, ὡς χρόνος δῆθεν παρῆν.*

„At hoc enim, inquit [*Tiro*], plane stultitiae plenum „est, eo consilio atque ea fini facere velle aliquid, „uti nunquam id facias, quod velis [1])." §. 34. Post deinde „usum esse Catonem, dicit (*Tiro*), in eadem „oratione argumentis parum honestis, et nimis auda-„cibus, ac non viri ejus, qualis fuit, sed vafris ac „fallaciosis, et quasi Graecorum sophistarum soller-„tiis. Nam cum objiceretur, inquit, Rhodiensibus, „quod bellum populo Romano facere voluissent, nec „negavit paene, ignosci poposcit, quia id non feci-„sent, etsi maxime voluissent: induxisseque eum di-„cit, quam Dialectici epagogen appellant, rem admo-„dum insidiosam et sophisticam, neque ad veritates „magis, quam ad captiones repertam, cum conatus „sit exemplis decipientibus colligere confirmareque, ne-„minem, qui male facere voluit, plecti aequum esse, „nisi, quod factum voluit, etiam fecerit."

Sequuntur jam apud Gellium verba Catonis. Sub-jungit Gellius §. 39: „His argumentis *Tiro Tullius* M. „Catonem contendere et conficere dicit, Rhodiensibus „quoque impune esse debere, quod hostes quidem „esse populi Romani voluissent, et qui maxime non „fuissent. Dissimulari autem non posse, ait [*Tiro*], „quin paria et consimilia non sint, plus quingenta ju-„gera habere velle, quod plebiscito colonis prohibitum „fuit, et bellum injustum atque impium populo Ro-„mano facere velle: neque item infitiari posse, quin „alia caussa in praemio sit, alia in poenis. Nam be-„neficia, inquit, promissa opperiri oportet, neque ante „remunerari, quam facta sint: injurias autem immi-„nentis praecavisse justum est, quam exspectavisse. „Summa enim professio stultitiae, inquit, est, non ire „obviam sceleribus cogitatis, sed manere oppeririqué,

1) Quomodo his occurrat Gellius, lege si libet, apud hunc ipsum.

„ut, cum admissa et perpetrata fuerint, tum denique, „ubi, quae facta sunt, infecta fieri non possunt, poe„niantur [1])."

b) *Gellius* Noctt. Att. 10, 1, 7:

Quod de Pompejo Varro breviter et suboscure [2]) dixit, *Tiro Tullius*, Ciceronis libertus, in *epistola* quadam enarratius scripsit ad hunc ferme modum: „cum Pompejus, inquit, aedem Victoriae dedicaturus „foret, cujus gradus vicem theatri essent, nomenque „ejus et honores [in]scriberentur: quaeri coeptum est, „utrum *consul tertio* inscribendum esset, an *tertium*. „Eam rem Pompejus exquisitissime retulit ad doctissi„mos civitatis; cumque dissentiretur, et pars *tertio*, „alii *tertium* scribendum contenderent; rogavit, inquit, „Ciceronem Pompejus, ut, quod ei rectius videretur, „scribi juberet: tum Ciceronem judicare de viris doctis „veritum esse, ne, quorum opinionem improbasset, „ipsos videretur improbasse. Persuasit igitur Pompejo, „ut neque *tertium* neque *tertio* scriberetur: sed ad „secundum usque T fierent literae: ut verbo non per„scripto res quidem demonstraretur, sed dictio tamen „ambigua verbi lateret." Id autem quod et Varro et *Tiro* dixerunt, in eodem nunc theatro non est ita scriptum. Nam etc.

c) Nulla exstant fragmenta *Epistolarum*, quas haud sane paucas scripsit Tiro Ciceroni, Quinto Ciceroni et Attico [3]), nisi forte discesseris a fragmento trium verborum, quae servavit nobis Cicero Epist. ad Div. 16, 17: Video, quid agas. Tuas quoque epistolas vis referri in volumina. Sed heus tu, qui καινὸν esse meorum scriptorum soles, unde illud tam ἄκυρον: *Valitudini fideliter inserviendo?* Unde in istum locum *fideliter?* Cui verbo etc. V. *Victor.* ad eum loc. Cf. etiam *Wieland.* ad Epist. ad Div. 16, 9. Lib. 9, 15.

1) Reliqua, quae non sunt Tironis, v. in Gellio.

2) Verba Varronis haec sunt: Pompejus timide, quod in theatro, ne adscriberet: consul tertium aut tertio, extremas literas non [con]scripsit.

3) Quas quidem scriptas fuisse testantur Epistolae Ciceronis ad Att. 5, 20. 9, 17. 12, 19. 48. 16, 15 sub fin. Ad Divers. 16, 4. 5. 6. 9. 12. 14. 15. 26.

Vol. 4., ubi vocab. *pudoris* a Tirone in epistola ad Ciceronem usurpatum fuisse conjecit [1]).

§. 3. *De libris falso Tironi tributis et de notis Tironianis.*

Fuerunt, qui Tironi ita faverent, ut plures, quam quos hactenus enumeravimus, ei tribuerent libros, eosque satis magnae molis; quattuor incerti auctoris dico *libros Rhetoricorum ad Herennium.* In illis fuit *Vossius* [2]), parum firmis ille quidem argumentis usus [3]). — Praeterea Ciceronis opus *de Memoria artificiali* olim exstitisse dicebatur [4]); hoc quoque Tironis esse voluerunt [5]). Sed non tanti est, ut de his plura addam.

Superest, ut de notis, quas vocant, Tironianis, hoc unum adjungam, eas minime esse a Tirone profectas; quod multis probare si vellem, profecto actum agerem post ea, quae copiosissime atque doctissime de illis protulit *Kopp* in Palaeographia critica P. I. p. 22 seqq. Quae auctor disputationis de Tirone de ista re dijudicavit, ea vana esse ostendit idem *Kopp* [6]).

§. 4. *De studio Tironis in colligendis edendisque scriptis Ciceronis.*

Jam ex proposito nostro exponendum est, quomodo Tiro de Cicerone ejusque scriptis meritus fuerit [7]). Illo, ut Gellii verbis utar [8]), ab ineunte aetate libera-

1) *Poësin* quoque a Tirone tractatam esse, intelligas licet ex Cic. Epist. ad Div. 16, 18: An pangis aliquid *Sophocleum?* Fac opus appareat; i. e. aliqua Sophoclis tragoedia, Latinis versibus reddita; s. ut *Manutius* interpretatur: simile aliquid Sophoclis versibus, qui inter alios excellunt.

2) In libr. de Rhetoricae nat. et constitut. c. 13.

3) cf. etiam *Burman.* in praefat. Dedicat. ad Cicer. Rhetor. ad Herenn. p. XXIX seqq.

4) cf. *Morhof.* Polyhist. I. p. 364.

5) cf. Interpretum Ciceronis index, subjectus vitae Ciceronis filii *Vallamberti. Krit. Biblioth. Seebod.* p. 632. a. 1823.

6) cf. p. 51. Adde: *Jurist. Zeit. v. Elvers*, 1829. p. 218. col. 2. *Sarpe* Prolegg. ad tachygraph. Rom. P. I. Rostock. 1829. *Fr. X. Gabelsberger, neue Vervollkommnungen in d. deutschen Redezeichenk. od. Stenographie* etc. 1844. *Bähr, Gesch. d. röm. Lit.* ed. III. T. I. p. 25 sq. et not. 22. p. 81 sq. et not. 12.

7) cf. *Lersch* l. ap. *Bähr.* Vol. II. p. 712. l.

8) V. supr. §. 2. 6. *a.*

liter instituto, adminiculatore, et quasi administro in studiis literarum Cicero usus fuerat; Cicero ipse κανόνα eum esse solere scriptorum dixit. Idem: Ei (Pompejo), inquit [1]), cupienti audire nostra, dixi, sine te omnia mea muta esse. Tu Musis nostris para ut operam reddas. Et: Innumerabilia, ait [2]), tua sunt in me officia, domestica, forensia, urbana, provincialia; in re privata, in publica, in studiis, in literis nostris. Postremo, ut alia multa taceam: De Tirone, scribit [3]), video tibi curae esse; quem quidem ego, etsi mirabiles utilitates mihi praebet, quum valet, in omni genere vel negotiorum vel studiorum meorum, tamen propter humanitatem et modestiam malo salvum, quam propter usum meum. — Monstrabat Tiro, si quid librarii manu Ciceronis scriptum non intelligerent [4]). Studiosissimus erat librorum patroni sui. Operam dabat, ut hujus scripta colligeret, ut accurate perspiceret, et librariorum peccata corrigeret; nisi forte interdum ipsa Ciceronis verba emendabat; quod censebat *Manutius* [5]). Epist. ad Att. 16, 5: Mearum epistolarum nulla est συναγωγή, sed habet Tiro instar septuaginta [6]). Gellius [7]): In oratione Ciceronis quinta in Verrem, in libro spectatae fidei Tironiana cura atque disciplina facto, ita scriptum fuit etc. Idem [8]): Hoc enim scriptum in uno atque in altero antiquissimae fidei libro Tironiano reperi [9]). Quintilianus [10]): „Ciceronis, ait, ad praesens modo tempus aptatos (commentarios causarum) libertus Tiro contraxit, quos non ideo excuso, quia non probem, sed ut sint magis admirabiles [11])."

1) Epist. ad Div. 16, 10. — 2) Epist. ad Div. 16, 4. — 3) Epist. ad Attic. 7, 5. — 4) Epist. ad Div. 16, 22. — 5) Ad Epist. ad Div. 16, 17. v. supr. §. 2, 6. c.

6) Add. ad Div. 16, 17, init. ad Att. 13, 6. 16, 5. *Manut.* ad Epist. ad Div. 14, princip.

7) N. Att. 1, 7. — 8) 13, 20, 16. — 9) Add. eund. 13, 9, 1. 15, 6. — 10) Institutt. Oratt. 10, 7, 31. —

11) cf. *Aud. Talaeus* ad Cic. Parad. p. 165 ed. *Moser.* Gotting. 1846.

Maecenatiana.

§. 1. *De iis, qui de Maecenate adhuc scripserunt.*

Veterum scriptorum nullus Maecenatis vitam ex professo, ut ita dicam, exposuisse videtur. Passim quidem, occasione oblata, fata viri atque mores et scripta utriusque linguae scriptores attigerunt, ut inter Graecos Cassius Dio, Appianus, Plutarchus, inter Romanos Horatius, Propertius, Vellejus Paterculus, Tacitus, Seneca, Quintilianus, alii [1]). — Recentioris aevi scriptorum sat multi hoc opus vel ex professo vel obiter aggressi sunt. Primus, qui Maecenatis vitam scripsit, fuisse videtur *Joan. Paul. Martyr a Ryzo*, sermone Castiliano [2]); quam quidem ad fabulas abire pronuntiavit *Meibomius* in Vit. Maec. Praefat. p. II. cf. *Ca-*

1) Duae etiam exstant elegiae: altera in obitum Maecenatis, altera in Maecenatem, quam utramque vel C. Pedoni Albinovano vel incerto Auctori tribuunt. Videntur sane esse non genuinae, quod et orationem et sententias ostendere intellexerunt VV. DD. v. *Burmann* Anthol. Lat. V. 1. p. 151 sqq. *Wernsdorf.* Poet. Lat. Minor. T. 3. p. 155 sqq. *Masson.* Vit. Hor. p. 143 sqq. *Weichert.* Poet. Latt. Reliq. p. 449. *Frandsen* p. 31 sqq. *Egger* p. 115. cf. *Bähr* l. supra l. V. I. p. 458 sq. Ponimus igitur, eas a seriori quodam poëta compositas; hinc ad usum nostrum caute tantum adhiberi possunt. Quaedam in priori elegia occurrere desumta e commentario cujusdam Lollii de Maecenate suspicatus est *Ruhkopf.* ad Senec. Epist. 114, 4. Eo enim se referre v. 10. 11: *Nec mihi, Maecenas, tecum fuit usus amici; Lollius hoc ergo conciliavit opus.* v. *Wernsdorf.* ad h. v.

2) A. 1626. 8.

musat. ad Ciaccon. Biblioth. p. 938. et *Souchay* l. infra l. — Secutus est *Joh. Henr. Meibomius*, cujus liber hanc inscriptionem prae se fert: „Meibomii Maecenas, sive de C. Cilnii Maecenatis vita, moribus et rebus gestis liber singularis. Accessit C. Pedonis Albinovani Maecenati scriptum Epicedium, notis illustratum. Lugd. Batav. ap. Jo. et Dan. Elsevier, 1653. 4. min.“ Qui quidem liber hodie satis rarus [1]) praeter fragmenta plurima omnia fere continet, quae ad Maecenatem spectant, sed sermo est nimis diffusus et scribendi genus, quod hodie minime placet; praeterea ordo rerum enarratarum perperam institutus et patientia prorsus multa opus est, ut librum totum perlegas. cf. *Souchay.* — Exstant etiam *Henr. a Seelen* ad Meibomii Maecenatem Analecta, quae, quum in manus meas non pervenerunt, cujus momenti sint, ipse ignoro. — Post Meibomium tres Itali deinceps Maecenatis vitas conscripserunt. *Cesare Caporali: Rime, overo vita di Mecenate con l'osservationi di Carlo Caporali. Venetia presso Zaccaria Conzalti.* 1673. 12. Tota haec vita ludicra est rebus ipsis ac scribendi genere. *Camusat.* l. l. p. 939 sq. *Souchay.* — *Giac. Maria Cenni, Della vita di Gajo Cilnio Mecenate libri II. Roma per Franc. de' Lazari,* 1684. 8. Totus fere pendet *Cenni* ex *Meibomio.* — *Francesco Dini, Dell' origine, famiglia, patria ed azzioni di Cajo Mecenate, dissertatione storica, con la difesa di Mec. da varie imposture di Seneca. Venezia per Domenico Lovisa;* 1704. 8. maj. [2]). Habet *Dini* nonnulla, quae ipsius propria sunt. — Nonnulla de Maecenate tradidit, Meibomium maxime secutus, *Souchay* in: *Recherches sur Mecénas* [3]). — Eodem fere tempore, quo Meibomius vitam Maecenatis scripsit, de Maecenate e cathedra locutus est *Andr. Rivinus;* teste *Bennemann.* p. 3. 110. cf. *Ruhkopf.* ad Senec. Epist. 114. p. 352. V. 3. — In epistola quadam Franco-Gallus

1) v. Biblioth. Salthen. p. 156. laudat. a *Mosero*, V. Cel., in Heidelberg. Jahrbb. 1825. p. 412.

2) cf. *Burmann.* ad Propert. Eleg. III, 7, 2.

3) V. *Mémoir. de Litterat.* T. 13. p. 81 sqq. T. 19. p. 125-49. ed. Amstel. cf. *Reimar.* ad Dion. Cass. XLIX. c. 16.

de Balzac de Maecenate disseruit, sed obiter tantum. v. *Benneman.* p. 4. — In *Boecleri* Dissertationib. academicis, V. 2. p. 701 sqq. legitur Commentatio: „Maecenas, sive consiliator regius ex Dionis libro 52. delineatus, auctore *Barnevicio*“, quae quidem tantum orationem Maecenatis ad Augustum habitam [1]) illustrat. — Vita Maecenatis germanico sermone scripta prodiit Lipsiae, 1744. 8. cujus auctor fertur esse *Bennemannus.* Inscriptio haec est: „*Versuch einer Lebensbeschreibung an der weltberuffenen Person des Maecenas, des ehemaligen grossen Freundes des Kaysers Augustus.*“ Multa inutilia complectitur ista vita. — *Richer, Vie de Mecénas, avec des notes historiques et critiques; Paris,* 1746. 8. Plane fere secutus est Meibomium, resectis modo iis, quae ad Maecenatem non pertinebant. — Storia di C. Ciln. Mec. dall' avvocato *Sante-Viola.* Roma 1816. Sequitur recentiores. — His adde tres VV. DD., qui nuperrime uno eodemque anno de Maecenate copiose scripserunt: C. C. M. vita. Scripsit *H. J. Matthes* in Symbolis literariis Amstelod. 1843. Fascic. V. p. 1 sqq. [2]). — *P. S. Frandsen, C. C. M., eine historische Untersuchung über dessen Leben und Wirken.* Alton. 1843. [3]). — *Vie de Mécène par J. P. Charpentier* in *Histoire de la renaissance des Lettres en Europe, T. 2: Etudes littéraires* [4]). — Ex Krebsii *Handbuch der philolog. Bücherkunde,* sub v. *Maecenas,* alia vita nuper scripta mihi innotuit: *The Life of Maecenas, with critical historical and geographical notes; corrected and enlarged by Ralph-Schomberg.* Ed. II. *Lond.* 1766. 8. — Pluribus locis de Maecenate egit *Blackwell* in: *Memoirs of the Court of Augustus;* nonnullis *Tiraboschi* in: *Storia della Letteratura Italiana;* V. l. *Harlesii* Introductionem supra jam nominavi. *Vossius* de Poëtis Latinis c. 2. nihil habet novi; nec *Funccius*

1) De qua v. infra §. 4. fin.

2) Cap. I. V. D. docte et copiose exposuit *vitam* Maecenatis. Supersunt tractanda reliqua capita de moribus et scriptis.

3) Vid. *Jahrbücher der Gegenwart* 1843. № 23. 24. *Blätter für literär. Unterhaltung* 1844. № 263. p. 1050.

4) Librum huncce ipse non vidi.

tradidit, quae non aliunde petas, v. ejus libr. de Virili aetate Linguae Lat. I. p. 157. Praeterea cf. *Dempster* De Etruria Regali 2. 55. *Gorius* Inscriptiones Antiqu. Arretii T. 2. p. 271 sqq. *Saxii* Onomastic. P. I. p. 176. Iis quos nominavi accedunt *Masson* in vita Horatii. *Wieland*. ad Horatii Sermones et Epistolas, *C. O. Müller*. *Etrusker* T. I. *A. Haakhius* in *Aug. Pauly*. *Real-Encyclopädie der classisch. Alterthumswissenschaft*. T. II. p. 354 sqq. *Grotefend* in Ersch et Gruber s. v. Horatius. historiae Romanae illorum temporum scriptores omnes. in his: *Hoeck*, *Drumann* VV. Cell. al. Horatii intpp. fere ad unum omnes. Postremo histor. literar. Rom. scriptt. in his: *Dunlop*, history of Rom. Litt. ed. 2. 1828. V. 3. *Bähr*, *Röm. Litt. Gesch.* al. Alios. ut *Weichert*, *Passow*, *Weber*, *Franke*, *Walckenaer*, *Egger*, suo quosque loco laudabo.

§. 2. *Maecenatis vita et mores.*

a) Maecenatis vita.

Inter omnes veteres scriptores convenit. Maecenatem fuisse loco equestri [1]). Majores autem ejus nobiliori aliquando in Etruria loco orti erant [2]). Isti vero

---

1) Horat. Carm. 1, 20, 5. ibiq. Porphyrion. 3, 16, 20. *Clare, Maecenas, eques; Maec. equitum decus.* Propert. Eleg. 3, 9, 1. *Maec. eques.* Vellej. Paterc. 2, 88. *C. Maec. equestri sed splendido genere natus.* Tacit. Annal. 6, 11. *Ciln. Maecenatem equestris ordinis.* Martial. Epigr. 10, 73, 4. 12, 4, 2. *Maec. Caesarianus eques; Maec. atavis regibus ortus eques.* 8, 56. *Risit Tuscus Eques* Cass. Dio 49, 16 fin. 51, 3. 55, 7. *Ὁ Καῖσαρ φοβηθεὶς, μὴ τοῦ Μαικήνου — καταφρονήσωσι, ὅτι ἱππεὺς ἦν, κ.τ.λ. — καὶ ἱππεῖ αὐτῷ ὄντι.*

2) Horat. Carm. 1, 1, 1. 3, 29, 1. *Maec. atavis edite regibus. Tyrrhena regum progenies.* Serm. 1, 6, 1. *Non, quia, Maec., Lydorum, quidquid Etruscos Incoluit finis, nemo generosior est te, Nec, quod avus tibi maternus fuit atque paternus, Olim qui magnis legionibus (regionibus?* Vid. tamen *Müller. Etrusker* I. p. 367. 404. 416.) *imperitarent, — naso suspendis adunco* etc. ibid. *Wieland.* p. 217 sq. et *Heindorf.* Martial. l. l. Auctor Eleg. in Obit. Maecen. 13. *Regis eras genus Etrusci.* Propert. l. l. *Maec. eques, Etrusco de sanguine regum.* — Propter liberalitatem regiam Maecenatem regem dictum esse suspicatus est *Dini* p. 7. 44. 65 sq. Frustra!

ad *Cilniorum* gentem pertinuisse videntur, unde nomen *Cilnii* Maecenati inditum legimus [1]). Qui *Cilnii* Etrusci fuerunt, et quidem *Arretini* [2]). Romae in tribum Pomptinam relati videntur, si quidem fidem habere volumus inscriptioni apud *Meibom.* p. 20. et *Torrent.* ad Horat. Carm. 1, 1. [3]). Quo tempore Romam migraverint, non constat.

Maecenatis nomen in plurimis codicibus, inscriptionibus et scriptorum veterum editionibus, iisque optimis, atque in notis Tironianis [4]) *Maecenas* scriptum legitur; in malis quibusdam antiquis editionibus et Inscriptionibus *Mecenas*, *Moecenas* et *Mecoenas* [5]); in Graecis scriptoribus *Μαικήνας* [6]). Etruscae originis nomen esse videtur; secundum Varronem [7]) a loco derivandum; a quo fortasse etiam dicta sunt *vina Maecenatiana* [8]); nisi forte potius locus nomen a Maecenate duxit [9]). Nominativus casus in vetustissimis

1) *Lips* Antiqq. Lectt. 1, 22. et ad Tac. A. l. l. *Turneb.* Advers. 18, 11. — *Cilniorum*, sive, ut scribitur, *Ciliniorum* nomen idem esse quod *Liciniorum* suspicatus est *Dini* p. 2. cf. p. 67 sqq. Frustra! cf. *Müller. Etrusk.* I. p. 376. 414.

2) Liv. 10, 3. init. *Etruriam rebellare, ab Arretinorum seditionibus motu orto, nuntiabatur; ubi (Arretii) Cilnium genus praepotens, diviliarum invidia, pelli armis coeptum.* Sil. Italic. 7, 29 sqq. *Cilnius, Arreti Tyrrhenis ortus in oris, Clarum nomen erat.* Macrob. Saturn. 2, 4. quem locum v. integrum infra §. 4. *Souchay* p. 82. *Walckenaer* Histoire d' Horace. T. II. p. 213.

3) Inscriptio haec est: LEIBERTORUM. ET. LEIBERTAR. C. MAECENATIS. L. F. POM. POSTERISQUE. EORUM. ET. QUI. AD. ID. TUENDUM. CONTULERUNT. CONTULERINT.

4) *Kopp.* Palaeograph. V. 1. p. 359.

5) cf. infr. §. 4, 17.

6) Marc. Antonin. De Reb. suis 8, 31. *Αὐλὴ Αὐγούστου γυνὴ — φίλοι, Ἄρειος, Μαικήνας — ὅλης αὐλῆς θάνατος.* Plutarch. et C. Dio pll. ll. infra laudatis. Aelian. V. H. 12, 26. cf. Intpp. (*Torrent.*, *Lambin* et *Chabot*) ad Horat. Carm. 1, 1, 1. *Ruddimann.* Institutt. Grammat. Lat. P. 2. p. 401. ed. *Stallbaum. Martini* Lexic. Etymol. sub v. *Mecaen.*

7) De Ling. Lat. 7. fin. p. 125. ed. Bip. VIII. §. 84. p. 196. ed. *Müll.*

8) Plin. N. H. 14, 8, 5. V. 5. p. 61. ed. *Franz. Meibom.* p. 166 sq. *Müller. Etrusker* I. p. 415.

9) cf. Quintil. Institutt. Oratt. 1, 5, 62.

libris etiam est *Maecenatis* [1]). *Cajus* a Tacito, Vellejo, Dione et in Inscriptionibus [2]) vocatur Maecenas.

De ejus parentibus nihil usquam legitur; nisi quod in Inscriptione quadam apud Torrent. [3]) *L. F.* (Lucii filius) vocatur. A Cicerone [4]) memoratur quidam *Maecenas*, qui qua ratione cum eo, de quo hic sermo est, propinquitatis vinculo conjunctus fuerit, nemo dixerit [5]).

Sicut et de parentibus et de patria, ubi natus sit, nihil protulerunt veteres scriptores, ita annus quoque, quo natum dicas, ignotus est. Videtur ille quidem fuisse inter a. u. c. 680—690 [6]). Dies autem natalis fuit Idib. April. [7]). Quum puer esset atque adolesceret Maecenas, bene atque liberaliter, ut civem Romanum decuit, eruditus est. Hinc *doctus* ab Horatio appellatur, et *sermones utriusque linguae doctus* [8]),

---

1) Priscian. de Accentib. C. 3. V. 2. p. 371. ed. *Krehl.* cf. *Müller. Etrusker* I. p. 455.

2) V. ap. *Torrent.* et *Dempster.* Etrur. Reg. I. I.

3) V. p. 19. ann. 3. — 4) Orat. pro Cluent. 56, 153.

5) Vid. tamen *Viola* p. 16 sqq. *Matthes* p. 8. — Alii Maecenates fuerunt fere hice: In Sallustii Fragmento, a Serv. ad Virg. Aen. 1, 698. Vol. 1. p. 105. laudato, mentio fit *Maecenatis scribae*; C. *Maecenatis Helii* in Inscript. apud Gruter. p. IↃCXIV, II.; v. *Graevii* Thes. Inscr. p. CCX. Ind. *Maecenatis*, qui bello Punico occidit, ap. Silium Ital. 10, 40. (v. *Perizon* Animadvv. Hist. p. 24. ed. Amstel.) *Maecenatis Praetorii* ap. Herodian. 7, 11. et Capitolin. in Gordiano c. 22. et Maximin. c. 20. Sub Vespasiano vixit *P. Maecenas Olympicus.* v. *Meibom.* p. 4 sq. Apud Senecam Rhetor. p. 9. 23. 195. 319. ed. Amstel. 1672. memoratur quidam *Maecenas.* Apud Plin. N. H. 28, (6.), 17. *Maecenas Melissus. A. Maecenatem* ex fragmento marmoris memorat *Dempster.* Etrur. Regal. 2, 55. p. 221.: ..... A. MOECENAS. RE. ..... ↃECUR. Q. ARRET. VIT .... LICINIOS. EXILIO. RES ..... T. LR. COL ... Add. *C. Maecenatis. Cestii.* in Thesauro Inscr. *Murator.* p. MDCXXVIII, 10. Ibid. p. MDCCIV, 10. *C Maecenatis. Maecenatis. Ipsius. L. Lysiae*, ibid. 9. *C. Maecenas Phthongus.* Add. *Gorii* Inscriptt. Antiq. Arretii. T. 2. p. 271 sqq. 407.

6) 686. *St. Viola* p. 12 sqq. V. quae de anno mortis diximus p. 25. Add. *Walcken.* T. II. p. 326.

7) Horat. Carm. 4, 11, 14 sqq. Perperam *Scaliger.* (Poëtic. 3, 102.) Floralibus eum natum dicit, quae celebrabantur in fine mens. April.

8) Horat. Carm. 3, 8, 5. Epist. 1, 19, 1.

σοφὸς ab Cedreno [1]). Apolloniae eum literis operam dedisse, statuunt, ex more quidem Romanorum, qui literarum causa in Graeciam se conferebant. Ibidem quoque Octaviani, qui postea Romanorum imperator factus est, amicitiam atque familiaritatem sibi conciliasse ponunt. Immo de industria Maecenatem Apolloniam petiisse, ut ibi Octavianum, jamjam a Caesare magnum factum, cognosceret, fuit qui diceret [2]). Huc fortasse pertinet illud, quod Plutarchus [3]) Maecenatem συμβιωτὴν Augusti vocat: *Παρὰ δὲ Μαικήνα τοῦ συμβιωτοῦ καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν ἐν τοῖς γενεθλίοις δῶρον ἐλάμβανε φιάλην.* Sed haec omnia incerta sunt. *Συμβιωτὴς* etiam Augusti imperatoris dici poterat Maecenas. Hoc vero nulli dubitationi est obnoxium, quod mature amicitiam Octaviani sibi paravit, cujus amicum potius, principi gratiosissimum, quam regni ministrum, ut dicere solent [4]), eum nomines [5]), quem maximi semper faciebat et antequam imperium adeptus esset et postquam Imperator regnum exerceret [6]). Atqui

1) T. I. p. 301. ed. Bonn.

2) Appian. de bell. Civ. 3, 9.: *Καὶ τῶν ἡγεμόνων τοῦ στρατοῦ τινες, ὡς συγγενεῖ Καίσαρος, θαμινὰ ἐπεφοίτων.*

3) Apophthegm. Reg. (August.) 6. V. 1. p. 823. ed. Wyttenb.

4) *Egger* p. 6: *Mécène ne fut jamais que ministre et conseiller intime.* Quam vim omnino Maec. in rep. administranda habuerit, maxime egregie exposuerunt VV. Cell. *Drumann*, *Hoeck*, alii.

5) *Wieland.* in Introduct. ad Horat. Epist. p. 3.

6) Dio 52, 1. *ἐποιήσατο δὲ τὴν διάγνωσιν μετά τε τοῦ Ἀγρίππου καὶ τοῦ Μαικήνου· τούτοις γὰρ πάντα τὰ ἀπόῤῥητα ἀνεκοίνου.* Senec. de Benef. 6, 32. *Divus Augustus filiam ultra impudicitiae maledictum impudicam relegavit, et flagitia Principalis domus in publicum emisit. — Deinde quum, interposito tempore, in locum irae subisset verecundia, gemens, quod non illa silentio pressisset, quae tamdiu nescierat, donec loqui turpe esset: saepe exclamavit: Horum mihi nihil accidisset, si aut Agrippa, aut Maecenas vixisset. Adeo tot habenti millia hominum duos reparare difficile est. Caesae sunt legiones; et protinus scriptae. Fracta classis; et intra paucos dies natavit nova. Saevitum est in opera publica ignibus; surrexerunt meliora consumtis. Tota vita, Agrippae et Maecenatis vacavit locus Quid putem? Defuisse similes qui assumerentur, an ipsius vitium fuisse, qui maluit queri, quam quaerere? Non est quod existimemus,*

contra Maecenate nemo studiosius omnem operam dedit, ut Augustum et consilio et rebus gestis adjuvaret. Ita, si Propertio et Auctori Elegiae fidem dare velis, videas Maecenatem Octaviano in bello Mutinensi, Philippensi, Perusino et Siculo ad latus esse [1]); nec non Actiaco [2]). Eo intercedente Augustus Scriboniam in matrimonium duxit [3]); atque, Octavia Antonio desponsa, Octavianus et Antonius in gratiam redierunt, novisque exortis simultatibus, iterum pacem restituit Maecenas [4]).

Agrippam et Maecenatem solitos illi vera dicere: qui si vixissent, inter dissimulantes fuissent. Regalis ingenii mos est, in praesentium contumeliam, amissa laudare, et his virtutem dare vera dicendi, a quibus jam audiendi periculum non est. V. etiam infra p. 25.

1) Propert. 2, 1, 26 sqq. *Nam quoties Mutinam, aut civilia busta Philippos, Aut canerem Siculae classica bella fugae, Eversosve focos antiquae gentis Etruscae, Aut Ptolemaeëae litora capta Phari, Aut canere inciperem et Nilum, cum tractus in urbem Septem captivis debilis ibat aquis, Et regum auratis circumdata colla catenis, Actiaque in Sacra currere rostra via, Te (Maec.) mea Musa illis semper contexeret armis, Et sumta et posita pace fidele caput.* Auct. Eleg. 41 sqq. *Illum (Maec.) piscosi viderunt saxa Pelori Ignibus hostilis reddere ligna ratis. Pulvere in Emathio fortem videre Philippi. Quam nunc ille tener, tam gravis hostis erat. Cum freta Niliacae texerunt lata carinae, Fortis erat circum, fortis et ante ducem.*

2) Propert. l. l. Horat. Epod. 1, 1. *Ibis Liburnis inter alta navium, Amice, propugnacula, Paratus omne Caesaris periculum, Subire, Maec., tuo? Quid nos?* ubi v. tamen intpp. (Torrent.) mox Vellej. *Masson.* vit. Horat. p. 143. *Frandsen* p. 23 sqq.

3) Appian. de bell. Civ. 5, 53. *Ἐπίστελλε Μαικήνᾳ, συνθέσθαι Σκριβωνίᾳ τῇ Λίβωνος ἀδελφῇ, τοῦ κηδεύοντος Πομπηίῳ, ἵν' ἔχοι καὶ τήνδε ἀφορμὴν ἐς διαλύσεις, εἰ δεήσειε. Καὶ πυθόμενος ὁ Λίβων, ἐπίστελλε τοῖς οἰκείοις, ἐγγυᾶν αὐτὴν τῷ Καίσαρι προθύμως.* cf. *Drumann.* T. I. p. 418.

4) Appian. l. l. 64. 92. 93. *Ὧν ὁ στρατὸς ὁ τοῦ Καίσαρος αἰσθανόμενοι, πρέσβεις εἵλοντο τοὺς αὐτοὺς ἐς ἀμφοτέρους· οἳ τὰ μὲν ἐγκλήματα αὐτῶν ἐπέσχον, ὡς οὐ κρῖναι σφίσιν, ἀλλὰ διαλλάξαι μόνον ἦρημένοι· σφίσιν δ' αὐτοῖς προσελόμενοι Κοκκήϊον μὲν, ὡς κοινὸν ἀμφοῖν, ἐκ δὲ τῶν Ἀντωνίου Ἰολλίωνα, καὶ Μαικήναν ἐκ τῶν Καίσαρος, ἔγνωσαν, Καίσαρι καὶ Ἀντωνίῳ πρὸς ἀλλήλους ἀμνηστίαν εἶναι τῶν γεγονότων, καὶ φιλίαν ἐς τὸ μέλλον. Ὑπογύως δὲ Μαρκέλλου τεθνεῶτος, ὃς τὴν ἀδελφὴν Καίσαρος εἶχεν Ὀκταουΐαν, ἐδικαίουν οἱ διαλλακταὶ, τὴν Ὀκταουΐαν Ἀντωνίῳ*

In bello adversus Sext. Pompejum ab Octaviano sedandis turbis et seditionibus Romam missus, urbi praefuit; mox vero Roma relicta pugnae interfuisse videtur [1]). Plurimum autem Romae versatus publicas res curabat [2]). Ex locis laud. patet, et ante Augusti imperium et imperante Augusto res gravissimas Romae Maecenatem perfecisse. Conjurationem adeo Lepidi ab eo oppressam vides, absente Augusto [3]). Quum Octa-

---

τὸν Καίσαρα ἐγγυῆσαι. Καὶ ὁ μὲν αὐτίκα ἐνηγγύα. — Δεινὸς δὲ ὢν (ὁ Καῖσαρ) ἀεὶ τὸ συμφέρον συνιδεῖν, ἔπεμπε Μαικήναν ἐς Ἀντώνιον, μεταδιδάξοντα, περὶ ὧν ἔναγχος ἐπεμέμφοντο ἀλλήλοις, καὶ ἐς συμμαχίας ὑπαξόμενον. — Ὀκταουΐα οὖν ἐχώρει πρὸς Καίσαρα διαιτήσουσα αὐτοῖς — ἔλεγε ἐκλελύσθαι τοῦτο διὰ Μαικήνα κ. τ. λ. Hor. Serm. 1, 5, 27 sqq. *Huc (Anxur) venturus erat Maec. optimus atque Coccejus, missi magnis de rebus uterque, Legati, aversos soliti componere amicos,* v. ibid. Heindorf. Plutarch. vit. Anton. c. 35. *Ἡ δὲ (Ὀκταβία) ἀπαντήσασα καθ' ὁδὸν Καίσαρι, καὶ παραλαβοῦσα τῶν ἐκείνου φίλων Ἀγρίππαν καὶ Μαικήναν ἐνετύγχανε, πολλὰ ποτνιωμένη, καὶ πολλὰ δεομένη κ. τ. λ.* cf. *Drumann.* l. l. p. 422.

1) Appian. l. l. 99. *Ὡς δὲ ἐπὶ συμφορᾷ μείζονι, Μαικήναν μὲν ἐς Ῥώμην ἐξέπεμπε διὰ τοὺς ἐπτοημένους ἔτι πρὸς τὴν μνήμην Πομπηΐου Μάγνου.* Dio 49, 16 fin. *Τά τε ἄλλα τὰ ἐν τῇ πόλει τῇ τε λοιπῇ Ἰταλίᾳ Γαΐός τις Μαικήνας, ἀνὴρ ἱππεύς, καὶ τότε καὶ ἔπειτα ἐπὶ πολὺ διῴκησεν.*

2) Tacit. An. 6, 11.: *Augustus bellis civilibus Cilnium Maecenatem equestris ordinis cunctis apud Romam atque Italiam praeposuit.* (v. *Lips.* ad eum l.) Vellejus l. l.: *Dum ultimam bello Actiaco Alexandrinoque Caesar imponit manum* etc., *tunc urbis custodiis praepositus C. Maecen.* etc. Seneca Epist. 114.: *Nam etiam cum absentis partibus Caesaris fungeretur, signum a discincto petebatur;* et: *Hunc esse, cui, cum maxime vivilibus bellis strepentibus, et sollicita urbe et armata, comitatus hic fuerit in publico?* Add. Hor. Carm. 3, 29, 25 sq. *Tu, civitatem quis deceat status, Curas, et urbi sollicitus times.* 3, 8, 16. *Mitte civiles super urbe curas.* Serm. 2, 6, 38. ibiq. Heind. Auct. Eleg. 27. *Aut minus urbis erat custos, et Caesaris hospes? Num tibi non tutas fecit in urbe vias?* Tacit. Ann. 14, 55. v. mox. Add. *Franke* Fasti Horat. p. 123 sq. *Drumann.* l. l. p. 485.

3) Vell. l. l. *M. Lepidus, juvenis forma, quam mente melior, Lepidi ejus, qui Triumvir fuerat reip. constituendae, filius, Junia, Bruti sorore, natus, interficiendi, simul in urbem revertisset, Caesaris consilium inierat. — Maec. speculatus est per summam quietem ac dissimulationem praecipitis consilia juvenis, et mira celeritate, nullaque cum perturbatione aut rerum aut hominum oppresso Lepido, immane*

vianus Romam redux se rempublicam restituere velle simularet, dissuasit inprimis Maecenas; prudentissimo prorsus consilio, quod ulterius exponere non hujus est loci [1]). Suum etiam commodum in ea re spectasse Maecenatem fuerunt, qui crederent [2]). Orbe vero per Augustum pacato, ad otium se contulit imperatoris amicus; suadente fortasse praecipue Horatio, saepenumero fautorem suum ad otium revocante [3]). Molle fuit istud quidem otium, in summa scilicet rerum omnium affluentia [4]); sed non plane a negotiis publicis abhorrens; et ita omnino se gessit, ut homines facile ferrent [5]). Est ubi apud Augustum Maecenatis auctoritas nihil valeret; quod factum est in conjuratione Murenae [6]). Sub vitae finem etiam infenso erga eum animo dicitur fuisse Augustus [7]); quod propter

---

novi ac resurrecturi belli civilis restinxit initium. Et ille quidem male consultorum poenas exsolvit. cf. Senec. de Brevit. Vit. 5. de Clement. 1, 9.

1) v. Sueton. Aug. vit. 28. Senec. de Brev. vit. 5. Donati vit. Virgil. XIX, 78. Dion. 52, 1. 14 sqq.; de oratione a Maecenate habita v. infra §. 4, fin.

2) v. *Evremond, Oeuvres Mél.* T. 1. p. 194. *St. Réal, Fragm. sur Auguste. Blackwell*, V. 3. p. 248 sq. contra quos disputavit *Matthes* p. 25. Not. 3. v. etiam infra p. 32.

3) v. Carm. 3, 2, 11. 3, 29, 10. Epod. 1, 11. 26. 8, 16 — 25. Add. Senec. apud Tacit. An. 14, 55. *Augustus M. Agrippae Mitylenense secretum, C. Maecenati urbe in ipsa velut peregrinum otium permisit: quorum alter bellorum socius, alter Romae pluribus laboribus jactatus, ampla quidem, sed pro ingentibus meritis praemia acceperant.* Et Nero apud eund. c. 56. *Augustus Agrippae et Maecenati usurpare otium post labores concessit, sed in ea ipsa aetate, cujus auctoritas tueretur, quidquid illud et qualecunque tribuisset. Attamen neutrum datis a se praemiis exuit. Bello et periculis meruerant.* Add. *Frandsen* p. 93 sqq.

4) v. p. 28. *Frands.* p. 97. — 5) v. infra p. 32.

6) Dio 54, 3. *Οὐδὲ ἐπήρκεσαν τῷ Μουρήνᾳ οὔτε ὁ Προκούλειος ἀδελφὸς ὤν, οὔτε ὁ Μαικήνας τῇ ἀδελφῇ* (Terentiae) *αὐτοῦ συνοικῶν, καίπερ ἐς τὰ πρῶτα ὑπὸ τοῦ Αὐγούστου τιμώμενοι.*

7) Tac. An. 3, 30. *Sallustius Crispus incolumi Maecenate proximus, mox praecipuus, cui secreta imperatorum inniterentur, et interficiendi Postumi Agrippae conscius, aetate provecta speciem magis in amicitia principis, quam vim tenuit; idque et Maecenati acciderat: fato potentiae raro sempiternae: an satius capit, aut illos, cum omnia tribuerunt, aut hos, cum jam nihil reliquum est, quod cupiant.*

Terentiam, Maecenatis uxorem, accidisse dicunt [1]; quae quidem mulier moribus ambiguis et morosis magnopere maritum propter Augusti amorem neglexisse atque vexasse videtur [2]. Quo eam tempore duxerit, non constat [3]. Ceterum amicitia restituta videtur, ita ut Augustus ad obitum usque amicum magni faceret [4]; qui obitus incidit in ann. u. c. 746. (745 *Matth.*) ant. Chr. 8. Imperii Augusti 23. Ol. CXCIII, 1. [5] post Horatium fortasse, quem a Maecenate versibus lugeri arbitrati sunt [6]. Horatius testamentum, quo Maecenatem heredem instituit, eo etiam vivente scribere potuit [7]. Maecenas heredem reliquit Augustum [8], qui vel postea magnopere desideravit amicum [9].

---

1) Dio 54, 19. *Καί τινες καὶ διὰ τὴν Τερεντίαν τὴν τοῦ Μαικήνου γυναῖκα ἀποδημῆσαι αὐτὸν ὑπετόπησαν· ἵν', ἐπειδὴ πολλὰ περὶ αὐτῶν ἐν τῇ Ῥώμῃ ἐλογοποιεῖτο, ἄνευ θροῦ τινος ἐν τῇ ἀλλοδημίᾳ αὐτῇ συνῇ. Οὕτω γὰρ οὖν πάνυ αὐτῆς ἦρα κ. τ. λ.* Paulo post: *τῷ Μαικήνᾳ διὰ τὴν γυναῖκα οὐκέθ' ὁμοίως ἔχωρε.* 55, 7. *καίπερ ἐπὶ τῇ γυναικὶ δυσκολαίνων.* cf. *Drumann.* l. l. Vol. IV. p. 297.

2) Senec. de Provid. c. 3. *Maecenati amoribus anxio, et morosae uxoris quotidiana repudia deflenti.* Epist. 114. *Qui uxorem millies duxit, quum unam habuerit.* *Walckenaer* T. II. p. 325: Il n'y a aucun motif — —, pour mettre en doute ce que dit Dion, qu' Auguste, épris des charmes de Térentia, l'emmena avec lui dans les Gaules. Mais s'il existait quelque refroidissement entre Auguste et Mécène à cette époque, ce que rien n'autorise à croire, ce n'était certainement pas Térentia, qui en était la cause etc.

3) cf. de femina Suet. Aug. 69. *Blackwell* p. 253. *Meibom.* p. 95 sq. 169. add. *Franke* p. 125. *Frandsen* p. 132 sqq. *Walckenaer* in Indice s. v. Terentia. *Weber* p. 147 sqq.

4) Suet. vit. Horat. Dio 55, 7. *Τοῦ δὲ δὴ Μαικήνου τελευτήσαντος, ἤλγησεν* (ὁ *Καῖσαρ*). *Blackwell.* p. 453.

5) v. Suet. l. l. in fine. Dion. 55, 7. *Meibom.* p. 183. *Senem* dicit Auctor Eleg. v. 2. 136. cf. *Simson.* Chronic. ad hunc ann. — 6) V. tamen infra §. 4, 4. annot.

7) V. tamen *Masson.* Vit. Horat. p. 368 sqq. add. *Matthes* p. 34 sq.

8) Dio 55, 7. *Καὶ κληρονόμον αὐτὸν κατέλιπε, καὶ ἐπ' αὐτῷ πλὴν ἐλαχίστων ἐποιήσατο, ἄν τέ τινι τῶν φίλων αὐτοῦ δοῦναί τι ἐθελήσῃ, ἄν τε καὶ μή.*

9) Senec. l. supra p. 21. annot. 6. l. Add. infr. p. 28. et annot. 1.

b) Maecenatis mores [1]).

De hominibus, quos ipse neque ex iis, quae dixerunt atque fecerunt, neque ex aliorum ore atque scriptis plane cognitos habes, recte omnino judicare difficillimum esse non infitias ibis. Hoc inprimis fit in viris, in magno fortunae fastigio positis, quibus vel justo plures sunt amici, vel potius tales homines, qui amicorum nomen usurpant atque profitentur, vel adeo etiam inimici, in omnibus rebus vel invidiae causa magnos homines incusantes. Hinc igitur etiam factum est, ut de Maecenatis moribus atque indole et qui olim vixerunt ac scripserunt et qui recentioribus temporibus exposuerunt, alii aliter sentirent. Jam equidem praecipuos veterum scriptorum locos, huc pertinentes, deinceps apponendos esse censui, ut inde qui fuerint Maecenatis mores fere habeas perspectum. Plane haec quidem res in aprico nunquam erit, nisi forte omnibus, quae quum poëtae, tum reliqui, a Seneca si discesseris, protulerunt, caecam fidem habere volueris, quo sane modo non sinistram de homine sententiam feres. — Ut igitur de singulis virtutibus primum dicam, eas nihil pensi habeo, quas ipse Maecenas commendat in oratione apud Dionem, quam supra jam memoravi; quippe virtutes facile commendare poterat, quibus ipse carebat. Laudo vero inprimis liberalitatem omnibus notam (v. §. 5.); modestiam [2]), humani-

1) cf. inprim. *Weber, üb. d. Character des Mäc.* in *Jahn Jahrbb. d. Philol. Suppl.* IX. p. 274 sqq. et in libro de Horatio. Add. *Walckenaer* I. p. 212 sqq. II. p. 27 sqq. et alibi.

2) Auct. Eleg. v. 31. *Majus erat potuisse tamen, nec velle triumphos, Major res, magnis abstinuisse, fuit.* Hor. Serm. 1, 6, init. et Acron. ad v. 98. ap. *Heindorf.* Tac. 3, 30. „Atque ille (Crispus Sallust.) quamquam promto ad capessendos honores aditu, Maecenatem aemulatus, sine dignitate senatoria multos triumphalium consulariumque potentia anteiit.“ Vellej. Pat. l. l. „Maec. non minus Agrippa Caesari carus, sed minus honoratus: quippe vixit angusti clavi paene contentus; nec minora consequi potuit, sed non tam concupivit.“ Propert. 3, 9, 23 sqq. *Cum tibi Romano dominas in honore securis Et liceat medio ponere jura foro, Vel tibi Medorum pugnacis ire per astus, Atque onerare tuam fixa per arma domum, Et tibi ad effectum vires det Caesar, et omni Tempore tam faciles insinuentur opes, Parcis, et in tenuis hu-*

tatem et mansuetudinem [1]). Praeterea animo fuit grato et fido erga amicos. De amicitia et meritis ejus in Augustum jam vidimus, et infra sermo erit [2]). Amicitiam, quam dedit plurimis suae aetatis egregii animi hominibus, nemo ignorat; sufficiat hoc loco nominare Horatium, Virgilium, Propertium, ut alios taceam [3]). Ad hoc liber in dicendo et consulendo; quam libertatem facile tulit Augustus, ita ut nescias, utrum magis mireris, imperatorem, qui ferret dictum hujusmodi: *Surge tandem carnifex* [4]), an amicum, qui tale quid

---

milem te colligis umbras; Velorum plenos subtrahis ipse sinus. Dio 55, 7. *Πλεῖστόν τε παρ' αὐτῷ (Αὐγούστῳ) δυνηθείς, ὥστε πολλοῖς καὶ τιμὰς καὶ ἀρχὰς δοῦναι, οὐκ ἐξεφόρησεν, ἀλλὰ τῷ τῶν ἱππέων τέλει κατεβίω.* Vid. tamen *Walckenaer* I. p. 213.

1) Auct. Eleg. v. 15. 16. *Omnia cum posses, tanto tam carus amico, Te sensit nemo posse nocere tamen.* Senec. Epist. 114. „Maxima laus illi tribuitur mansuetudinis: pepercit gladio, sanguine abstinuit; nec ulla alia re, quid posset, quam licentia ostendit."

2) Propert. 2, 1, 35. 36. 3, 9, 34. *Caesaris et famae vestigia juncta tenebis; Maecenatis erunt vera tropaea fides.* Auct. Eleg. I. 39. 40. *Comes impiger idem, Miles et Augusti fortis, et usque pius.* II. 24 sqq. *Unus Maec. teque ego propter eram. Arbiter ipse fui: volui quod, contigit esse: Pectus eram vere pectoris tui;* etc.

3) Propert. 2, 1, 73. 74. *Quandocunque igitur vitam mea fata reposcent, et breve in exiguo marmore nomen ero, Maecenas nostrae spes invidiosa juventae, Et vitae et morti gloria justa meae.* Maecenatis amici vel clientes dicuntur fuisse hi: Varius, Domitius Marsus, Arius (Areus) philosophus (cf. *Walckenaer* T. II. p. 464 sq.), C. Melissus, Maecenatis libertus, Fundanius, Fuscus Aristius, Plotius Tucca, T. Valgius Rufus, Asinius Pollio, Viscus uterque, Pedius Poplicola, Messala Corvinus, C. Furnius, Heliodorus, Servius, Bibulus. Eorum mentio fit in Horat. Serm. 1, 6, 55. Martial. 12, 4, 1. 8, 56, fin. 7, 28, fin. Aelian. V. H. 12, 25. (Fabric. Bibl. Graec. V. 3. p. 540. ed. Harl.) Suet. de Illustr. Gramm. c. 21. Plin. N. H. 28, 17. (Fabric. l. l. V. 1. p. 649. 2. p. 660. Ciaccon. Biblioth. V. 1. p. 482. ed. Camusat.) Horat. Serm. 1, 10, 42. 81 sqq. 1, 5, 2 sqq. cf. *Matthes* p. 31. *Frandsen* p. 222 sqq.

4) Cedren. l. supra l. Dio 55, 7. *Πολλὰ μὲν γὰρ καὶ ἄλλα ἀπ' αὐτοῦ (Μαικήνου) ἀπώνητο, (Αὔγουστος) μάλιστα δὲ ὁσάκις ἀκρατοτέρῳ τῷ θυμῷ ἐχρῆτο. Τῆς τε γὰρ ὀργῆς αὐτὸν ἀεὶ παρέλυε, καὶ ἐς τὸ ἠπιώτερον μεθίστη. Τεκμήριον δέ· δικάζοντί ποτε αὐτῷ προστὰς, καὶ ἰδὼν, ὅτι πολλοὺς θανατώσειν μέλλοι, ἐπε-*

proferre auderet. Mortem adeo Maecenatis aegre vel propterea tulit [1]). Hinc etiam factum videtur, ut et proceres aulae et populus Romanus hominem, tam ingenuum atque liberum, tantopere diligerent eique faverent [2]). Porro taciturnitatem ipse Augustus deprehendit in amico [3]). Candidum appellat Horatius [4]), optimum adeo [5]). Animo fuit forti et virili; vir, ut Velleji verbis utar, ubi res vigiliam exigeret, sane exsomnis, providens atque agendi sciens. Inter virtutes sive bonas artes hoc etiam referas licet, quod jocosus fuit [6]). Prudentiam non laudibus efferre non potes; eam maxime, quae conspicitur in amicis eligendis, adsciscendis et conservandis [7]). — Contra sunt loci, qui in Maecenate fuisse vitia quaedam ostendunt. Mollem inprimis animum vituperant Vellejus et Seneca, aliique; ille quidem: „*Simul*, ait, *aliquid ex negotio remitti posset, otio ac mollitiis paene ultra feminam fluens;*“ hic: *Modo*, inquit, *Licinium divitiis, Api-*

χείρησε μὲν διώσασθαι τοὺς περιεστηκότας, καὶ ἐγγὺς οἱ προσελθεῖν· μὴ δυνηθεὶς δὲ, ἔγραψεν ἐς γραμματεῖον· „Ἀνάστηθι ἤδη ποτὲ, δῆμε.“ καὶ αὐτὸ ὡς καὶ ἕτερόν τι ἔχον ἐς τὸν κόλπον αὐτοῦ ἔρριψεν· ὥστ' ἐκεῖνον μήτ' ἀπρκτεῖναί τινα, καὶ εὐθὺς ἐξαναστῆναι. — Μέγιστον δ' οὖν καὶ ἐκεῖνο τῆς τοῦ Μαικήνου ἀρετῆς δεῖγμα ἦν, ὅτι τῷ τε Αὐγούστῳ, καί τοι πρὸς τὰς ὁρμὰς αὐτοῦ ἀνθιστάμενος, ᾠκείωτο, καὶ τοῖς ἄλλοις πᾶσιν ἡρέσκετο. cf. *Walckenaer* T. I. p. 407 sq.

1) Senec. l. supra p. 21. l. Dio, l. l. Τούτων δὲ οὖν ἕνεκα ἰσχυρῶς αὐτὸν ὁ Αὔγουστος ἐπόθησε.

2) Dio l. l. Horat. Carm. 1, 20, 7. 2, 17, 25 sqq.

3) Sueton. August. c. 66. *Reliqui (amici) potentia atque opibus ad finem vitae sui cujusque ordinis principes floruerunt: quamquam et offensis intervenientibus. Desideravit enim nonnunquam, ne de pluribus referam, et M. Agrippae patientiam, et Maecenatis taciturnitatem: quum ille ex levi frigoris suspicione, et quod Marcellus sibi anteferretur, Mitylenas se, relictis omnibus, contulisset, hic secretum, de comperta Murenae conjuratione, uxori Terentiae prodidisset.* cf. Aurel. Victor. Epit. c. 1, 17. 18. *In amicos fidus exstitit Quorum praecipui erant ob taciturnitatem Maecenas, ob patientiam laboris modestiamque Agrippa.* Horat. Serm. 1, 6, 60. *Respondes, ut tuus est mos, Pauca.*

4) Epod. 14, 5. — 5) Serm. 1, 5, 27.

6) Horat. Epod. 3, 20.

7) Horat. Serm. 1, 6, 60 sqq. 1, 9, 43 sqq.

cium coenis, Maecenatem deliciis provocant [1]). Et: *Feliciorem (Regulo) ergo tu Maecenatem putas, cui amoribus anxio, et morosae uxoris quotidiana repudia deflenti, somnus per symphoniarum cantum, ex longinquo lene resonantium, quaeritur? Mero se licet sopiat, et aquarum fragoribus avocet, et mille voluptatibus mentem anxiam fallat: tam vigilabit in pluma, quam ille in cruce. Sed illi solatium est, pro honesto dura tolerare, et ad causam a patientia respicit: hunc voluptatibus marcidum, et felicitate nimia laborantem, magis his quae patitur vexat causa patiendi. Non usque eo in possessionem generis humani vitia venerunt, ut dubium sit, an electione fati data, plures Reguli nasci, quam Maecenates velint. Aut si quis fuerit, qui audeat dicere, Maecenatem se quam Regulum nasci maluisse: idem iste, taceat licet, nasci se Terentiam maluit* [2]). *Supinum* [3]) dicit Juvenalis, et *tenerum* [4]). Hinc ebriositatem ei opprobrant. Atque apud Petronium [5]) Trimalchio, homo ebriosus, *Maecenatianum* se nuncupat [6]). Horatius quoque eum optima vina in deliciis habuisse innuit [7]). Adulterium fecisse dicitur [8]). Cum

1) Epist. 120, 20.

2) De Provid. c. 3, 9. Alios locos v. infr.

3) Juven. Sat. 1, 66. Mollem et delicatum, s. otiosum explicant; v. *Burm.* ad Quintil. 10, 2, 17. Alii: tardum et negligentem, qui securus quasi tergo jacet. cf. *Weber* p. 125. *Franke* Fasti Hor. p. 85 sqq.

4) Juven. Sat. 12, 39. *Vestem Purpuream teneris quoque Maecenatibus aptam.* cf. *Weichert.* p. 420. Add. Martial. Epigr. 10, 73.: *Togae, Qua non Fabricius, sed vellet Apicius uti, Vellet Maecenas, Caesarianus eques.*

5) c. 81.

6) V. tamen intpp. Petron. p. 463. ed. *Burm.*, qui quidem V. D. Trimalchionem *servum* olim Maecenatis fuisse ponere malebat, quam imitatorem. *Egger* p. 467. s. v. Maecenatian. — Contra N. *Heins.* Vid. *Weichert.* Poett. Lat. Reliq. p. 439.

7) Horat. Carm. 1, 20. Gundlingiana, s. *Sammlung deutscher Schriften* ed. *Stollen* p. 489 sqq. ubi legitur commentatio: *Ob Mäcenas ein Trunkenbold gewesen?*

8) Plutarch. *Ἐρωτικ.* c. 16. V. 4. p. 488. ed. Stereot. *Πολλοὶ γὰρ ἀφροδισίων ἑτέροις ἐκοινώνησαν, οὐ μόνον ἑταίραις, ἀλλὰ*

Julia Augusti eum rem habuisse suspicati sunt [1]). Bathylli amore captus fertur [2]). Incessum adeo, habitum cultumque acerbe vituperant [3]). Quid quod unionum, gemmarumque et unguentorum nimio studio eum laborasse confirmant ex Inscriptione quadam [4]). Vel convivarum circa se saepiusnumero coetum mensae parasiticae nomine insigniverunt [5]). Jam vero quamquam ista omnia quae dixi vitia Maecenati non fuisse non certo dixerim, alia tamen vel incerta sunt, alia facile excusanda, quippe quae per se in magno homine omnium oculis exposito atque maxime conspicuo tanti non sunt, ut eum despicias. Accedunt mores

---

καὶ γαμετὰς προαγωγεύοντες· ὥσπερ καὶ ὁ Ῥωμαῖος ἐκεῖνος, Κάλβας, εἰστία Μαικήναν, ὡς ἔοικεν, εἶτα ὀρῶν διαπληκτιζόμενον ἀπὸ νευμάτων πρὸς τὸ γύναιον, ἀπέκλινεν ἡσυχῇ κεφαλήν, ὡς δὴ καθεύδων· ἐν τούτῳ δὲ τῶν οἰκετῶν τινος προςρυέντος ἔξωθεν τῇ τραπέζῃ, καὶ τὸν οἶνον ὑφαιρουμένου, διαβλέψας· Κακόδαιμον, εἶπεν, οὐκ οἶσθα, ὅτι μόνῳ Μαικήνᾳ καθεύδω; (cf. Cicer. Epist. ad Div. 7, 24. ibiq. *Wieland* Vol. 5. p. 538.) Dio tamen 54, 30: κακῶς τέ ποτε τοῦ Ἀπουληΐου καὶ τοῦ Μαικήνου ἐν δικαστηρίῳ τινὶ μοιχείας, οὐχ ὅτι τι καὶ αὐτοὶ ὑβρίκεσαν, ἀλλ' ὅτι τῷ κρινομένῳ σπουδῇ συνῄροντο· ἀκουόντων, ἦλθέ τε (ὁ Αὔγουστος) ἐς τὸ δικαστήριον κ. τ. λ.

1) *Meibom.* p. 130. 140.

2) Dio 54, 17. fin. Ὁ Πυλάδης ἐπιτιμώμενος ὑπ' Αὐγούστου, ἐπεὶ Βαθύλλῳ ὁμοτέχνῳ τέ οἱ ὄντι, καὶ τῷ Μαικήνᾳ προσήκοντι, διιστασίαζεν, εἰπεῖν λέγεται κ. τ. λ. Tacit. Ann. 1, 54. *Ludos Augustales tunc primum coeptos turbavit discordia, ex certamine histrionum. Indulserat ei ludicro Augustus, dum Maecenati obtemperat effuso in amorem Bathylli.* cf. *Lips.* ad h. l add. *Walckenaer* T. II. p. 242. *Frandsen* p. 127 sqq.

3) Senec. Epist. 114, 4. *Quomodo Maecenas vixerit, notius est, quam ut narrari nunc debeat: quomodo ambulaverit, quam delicatus fuerit, quam cupierit videri, quam vitia sua latere noluerit.* Idem De Provid. 3. Martial. 10, 73. quem locum antea laudavi. Adde quoque *Heindorf.* ad Horat. Serm. 1, 2, 25.

4) *Meibom.* p. 125 cf. Horat. Carm. 3, 29, 4. ibiq. Torrent. Et Auct. Eleg. v. 19 sqq. *Vincit vulgares, vincit Beryllus arenas. — Quod discinctus eras, animo quoque, carpitur unum, Diluitur nimia simplicitate tua. — Inviде, quid tandem tunicae nocuere solutae? Aut tibi ventosi quid nocuere sinus?* cf. §. 4, ad fragm. 4 fin.

5) Suet. vit. Hor. cf. Horat. Serm. 2, 8.

aetatis illius corruptissimi, ubi contagione quadam optimus quisque vitiis attingitur, quae posteri vel invidia commoti arripiunt, ut habeant, quod in magnis hominibus vituperent. Quare Seneca, ut de hoc inprimis dicam, tantopere exacerbatus in Maecenatem fuerit, ut domestica adeo mala ei vitio verteret, causae multae excogitari possunt; quas alii alias finxerunt, ut: Senecam, qui vitia obtegere et occultare vellet, sui excusandi causa Maecenatem incusasse [1]); illum Stoicum Maecenatem Epicureum pro vili habuisse; at de Epicuro saepe cum laude loquitur Seneca. Alii Maecenatem philosophos, e quorum genere fuerit Seneca, abigi Roma jussisse contendunt, quod ex ejus oratione apud Dionem comprobant; hinc factum esse, ut Seneca Maecenatem in odio haberet; quod sane ridiculum foret [2]). Postremo fuerunt qui, sive Petronium, sive alium, sive ipsum Neronem bene fortasse de Maecenate sensisse atque locutum esse, suspicarentur; quod altius in Senecae pectus descenderit [3]). Divitiarum [4]) et gloriae causa philosophum equiti Romano fortasse maledixisse ponit *Dini* [5]). Alii alia protulerunt ad incusandum vel excusandum Senecam [6]); cujus mores profecto ambigui sunt; ita ut, quae iste contra Maecenatem ex animo effudit, vel probabilitatis specie carere videantur. Loci sane, quibus ex Maecenatis scriptis utitur Seneca, nihil fere probant, nisi molle quoddam ingenium; et, ut sunt excerpti ex tota oratione, ita iis uti nos non decet, ut quodcunque velimus, inde arguamus [7]). Quem in Terentiam uxorem habuit amorem, ne vituperes, immo laudes oportet. Vides maritum saepe ab ea commotum, ita ut dissidia et repudia orirentur, sed mox lenitum, eique ignoscentem. Vides

---

1) *Dini* p. 86 sq. — 2) V. *Dini* Difesa etc. p. 15 sq.

3) *Benneman.* p. 111 sq.

4) Propter quas fort. Horat. beatum dicit; Epod. 9, 4.

5) l. l. p. 1.

6) cf. *Meiners. Geschichte des Verfalls der Sitten.* p. 300 sqq. *Viola* p. 198 sqq. *Frandsen* c. 16. p. 99 sqq. *Egger* p. 164.

7) *Dini* p. 11 sq.

quoque hominem, morbis affectum [1]), cui libenter vitam molliculam condones. Ad hoc, qui tot negotiis et iis, quae ad rempublicam spectant, et iis, quae ad literas pertinent, obrutus erat, quidni interdum otio suo indulgeret? Neque adeo in tot negotiis otio nimio se dedere ei licuisse suspicari licet [2]). Neque Horatium [3]), Virgilium, alios, bonos, probos homines, tanti facturos tamque magnifice celebraturos fuisse credo hominem, qualem nobis ostendit Seneca. Horatium vero videmus celebrare et publicam reddere luxuriam amici [4]). Unde haud inepta, credo, suspicio oritur, Maecenatem non ultro, et quod ipsi admodum placuerit, molliter se gessisse, sed ut apud populum, cui ipse mirifice placuit [5]), principi, amico suo, gratiam atque favorem pareret, ut populus Romanus pristinae libertatis immemor servitutem, quam subiret, non adeo sentiret, immo libenter ferret [6]). Quae animi voluntas atque omnino Maecenatis mores ita erant comparati, ut Augusto non placere non possent [7]). Inprimis ingenium ejus admiramur et prudentiam, qui ita se gessit, ut Augustus semper eum diligeret, summis rebus praeficeret, omniaque in eum bona conferret [8]). Animus videlicet ei erat tranquillus, ambitione nulla vexatus; hinc factum est, ut equestri loco semper contentus altiora non peteret [9]). Animus etiam hilaris, talis qui ab aliis illudi non dedignaretur, in parvis rebus singularis, in magnis spectatus et bonus; quo-

1) Horat. Carm. 2, 17, 22 sq. *Passov.* not. 122. Plin. N. H. 7, 52, (53.) fin.: *Quibusdam perpetua febris est, sicut C. Maecenati. Eidem, triennio supremo, nullo horae momento contigit somnus.* cf. Senec. de Provid. l. l. Vid. tamen *Viola* p. 261 sqq.

2) *Dini* p. 101. — 3) cf. *Richter* Suet. vit. Horat. p. 163.

4) Epod. 3. 14. — 5) cf. supr. p. 28.

6) *Blackwell* l. l. p. 466. et II. 348 sqq.

7) v. *Wieland.* l. l.

8) Tiber. ap. Dion. 56, 38. *Τοὺς ξυνιξεταστθέντας οἱ πολλαῖς καὶ μεγάλαις δωρεαῖς τιμήσας, οὔθ' ὑπερήφανόν τι πράττειν, οὔθ' ὑβρίζειν εἴασεν. ἀλλ' ἴστε γὰρ ἀκριβῶς καὶ ἐν τούτῳ τούς τε ἄλλους, καὶ τὸν Μαικήναν, καὶ τὸν Ἀγρίππαν. Wieland.* p. 6 sqq.

9) V. quos supra p. 26. annot. 2. laudavi.

modo aliis hominibus in commodum suum atque Augusti uteretur, haud ignarus. Ingenii acumen et voluptatum amor eum aliis gratum acceptumque reddebat. Fuit tamen ubi vir bonus non adeo bonum sed utile spectaret; hinc fortasse Augusto auctor fuit, ut imperium retineret; hinc etiam, accedente quoque otii amore, honores recusavit; et prudenter id quidem fecisse videtur. Quid enim ei opus erat magnis honoribus, qui, quaecunque cupere atque desiderare vellet, habebat? In modestia summa erat ei securitas. Qui nullo munere fungebatur, is odiosa a se removere potuit, eaque tantum facere, quae omnibus grata essent. Atque Augusto prorsus id convenisse, ut Maecenas privatus semper esset, facile intelliges [1]).

§. 3. *De Maecenatis domo, villis, hortis, aliisque.*

In hac §pho omnia, quae praeter ea, de quibus adhuc sermo erat, et praeter operum fragmenta ad Maecenatem spectant, congesta complectar. — Ut a *domo*, quam habitasse dicitur, initium faciam, eam magnificam fuisse ultro patet. In Esquiliis sita erat, altitudineque inprimis insignis, ita ut *Turris Maecenatiana* vocaretur [2]). Imagine propositam videas licet in: *Allgem. Welthistorie* V. 12. ad pag. 143. et *Lauri* Splendore Antiq. Urbis V. 2. fol. 104. Eam traditur Augustus frequentasse quoties aegrotaret [3]). Tibure quoque habuisse palatium quod dicunt fertur [4]). Ibi nimirum villam quoque habuit; quam nuper depinxit *Wilson* Anglus [5]).

1) *Wieland.* p. 10 sq. *Walckenaer* T. I. p. 200: *Mécène jouissait de toute la faveur d'Auguste, sans jamais lui être importun, puisqu'il dédaignait le rang et les honneurs.* cf. supra p. 26.

2) Horat. Carm. 3, 29, 9.: *fastidiosam desere copiam et Molem propinquam nubibus arduis.* V. Intpp. ad h. l. Epod. 9, 3.: *sub alta domo.* Suet. vit. Neron. c. 38. *Hoc incendium e turri Maecenatiana prospectans (Nero), — ἄλωσιν Ilii in illo suo scenico habitu decantavit.* Senec. Epist. 114.

3) Suet. 72. *Aeger in domo Maecenatis cubabat.*

4) v. *Kircher.* Descript. Lat. 3, 2, 4.

5) Add. *Kirch.* l. l. *Viola* p. 244 sqq. cf. *Eustace*, in Classical Tour, Vol. II, c. 7.

Clari etiam sunt *Horti Maecenatiani* [1]).

Hoc loco mentionem quoque faciam *Ranae* Maecenatis, quam sigillo insculptam habebat [2]). Quare ranam insculpendam curaverit Maecenas, alii aliam causam excogitaverunt. Alii enim in taciturnitatis signum eum rana usum dicunt; alii, ut potentiam, quam terra marique habuerit, indicaret [3]). Contra probabilius V. D. (Phil. Bonarota) in Explicationib. ad Dempsteri monumenta Etrusca §. 38. fin. [4]): In pluribus nummis Etruscis occurrit *rana*, insigne fortasse urbis maritimae, vel ad lacum positae; unde forte Maecenas, qui originem ex ea provincia ducebat, ranam in sigillo sculptam gestabat. —

Maecenatis effigiem v. in: *Bibliothèque universelle historiq. et biograph.* ad nomen *Mécène;* apud *Meibom.* p. 40. et *Blackwell.* II. ad p. 349. [5]).

Postremo de *genere scribendi*, quod invenisse dicitur Maecenas, hoc loco dicam, ut deinceps unice de ejus scriptis et meritis, quae de literis habuit, disserere liceat. Nimirum, illum singulari quodam scribendi genere usum dicunt, quo cum Augusto Epistolarum commercium exerceret; quod quomodo comparatum fuerit, minime constat. Fortasse notas, quae a Tirone, Ciceronis liberto [6]), dicuntur inventae, perfectiores reddidit. In aliorum usum eas notas Acilius s. Aquila, libertus Maecenatis, publicavisse traditur [7]); fortasse ipse

1) Tacit. An. 15, 39. Sueton. Tiber. c. 15. Sext. Ruf. de Reg. Urb. Horat. Serm. 1, 8, 7 ibiq. Schol. Cruq. ap. *Heindorf.* Auct. Eleg. 35. Gruter. Inscriptt. p. 878, 6. 945, 10. *Franke* p. 103 sq. *Weber* p. 131. Add. *Viola* p. 225 sqq.

2) Plin. Nat. Hist. 37, 4. (V. 10. p. 9. *Franz.*): Maecenatis rana per collationem pecuniarum in magno terrore erat.

3) v. *Richer*, et *Blackwell* V. 3. p. 134 sq. *Kirchmann.* de Annul. c. 5. p. 40 sq. et 13. p. 108.

4) cf. *Müller. Etrusk.* I. p. 335.

5) cf. *Walckenaer* T. II. p. 213 sq. *Egger* p. 467 s. v. *Mécène: Une dissertation de M. Raoul-Rochette, insérée dans un opuscule qui a pour titre: Di un busto colossale in marmo di C. Cilnio Mecenate, scoperto e posseduto dal cav. P. Manni* (*Paris* 1837. 8.), *montre que nous sommes enfin assurés de connaître les traits de Mécène, et par ce buste et par les camées de Dioscoride.*

6) v. supr. Tironiana p. 13. — 7) Isidor. Orig. 1, 22, 2.

invenit, quod patrono tribuebatur; domini servorum sibi vindicant studia [1]). — Tribuuntur etiam Maecenati calidae natationes [2]), et dapes exquisitiores [3]). Valetudinis fortasse adjuvandae causa in talibus rebus operam posuit [4]).

§. 4. *De Maecenatis scriptis, additis eorum fragmentis.*

Ut primum in universum disputem, quid sentiendum sit de iis, quae literis mandavit Maecenas [5]), hoc nemo fere ignorat, ea non tanti fuisse, ut inter primos aetatis suae scriptores ei locum assignare queas. Bono adeo disciplinarum fato periisse cuncta Maecenatis, quippe qui arguto, ut ajunt, et discincto stylo omnia corruperit, dicit *Camusat.* l. l. p. 941. Augusto jam novimus ludibrio fuisse cincinnos *μυροβρεχεῖς* [6]). Et

---

1) Dio 55, 7. fin.: *Πρῶτος σημεῖά τινα γραμμάτων πρὸς τάχος ἐξεῦρε, καὶ αὐτὰ διὰ Ἀκύλου ἀπελευθέρου συχνοὺς ἐξεδίδαξε.* cf. Cedren. l. l. *Walckenaer* T. II. p, 353. *Frandsen* p. 170 sq.

2) Dio l. l. *Πρῶτός τε κολυμβήθραν θερμοῦ ὕδατος ἐν τῇ πόλει κατεσκεύασε.*

3) Plin. N. H. 8, 68, 43. fin. *Pullos earum* (mularum) *epulari Maecenas instituit, multum eo tempore praelatos onagris; post eum interiit auctoritas saporis.*

4) cf. *Heindorf.* Introduct. in Horat. Serm. 2, 4. *Walckenaer* T. I. p. 431.

5) Poëta, ut videtur, factus, quoniam a poëtis fere erat circumdatus. cf. *Klotz* l. l. p. 94, med.

6) Suet. Vita Augusti c. 86. „Cacozelos et antiquarios, ut diverso genere vitiosos, pari fastidio sprevit (Augustus). Exagitabatque nonnunquam inprimis *Maecenatem* suum, cujus *μυροβρεχεῖς*, ut ait, *cincinnos* usquequaque persequitur, et imitando per jocum irridet.“ [cf. Cic. de Orat. III, 25, 101: *Atque eo citius in oratoris aut in poetae cincinnis ac fuco offenditur.*] Macrob. Saturnal. lib. II. c. 4. „Idem Augustus, quia *Maecenatem* suum noverat esse stylo remisso, molli et dissoluto, talem se in epistolis, quas ad eum scribebat, saepius exhibebat. Et contra castigationem loquendi, quam alias ille scribendo servabat, in epistola ad *Maecenatem* familiari plura in jocos effusa subtexuit: Vale mel gentium Vejorum et Meduliae, metuelle (melcule), ebur ex Hetruria, lacer Arretinum, adamas supernas, Tiberinum margaritum, Cilniorum smaragde, iaspi fi-

plane scribendi genus irrisit Seneca [1]). Scilicet mollitiem, quam in cultu victuque, incessu ceterisque rebus affectabat, eam in carmina quoque et alia scripta admisit. Solet enim hominum vita in oratione eorum fere conspici, quod pluribus pulchre explanavit Seneca l. l. Hinc igitur, ut certe ex fragmentis plurimis intelligimus, oratio fere est mollis, dissoluta, lasciviens, nimis comta et ornata, neque tamen satis correcta nec

---

gulorum, berylle Porsenae, carbunculum habeas, *ἵνα συντέμω πάντα μάλαγμα* (*ἵνα σιντείνω πάντα μαλάγματα*) moecharum." (Varie hoc fragmentum emacularunt *Crinitus* de Honest. Disc. 24, 12. *Bosius* ad Cicer. ad Att. 8, 15 p. 104. *Casaub.* ad Sueton *Gyrald.* Dial. Poetar. *Pontanus* ad Macr. *Turneb.* Advers. 18, 2. alii. cf. ad fragm. 4. sub fin.) Tacit. sive incertus Auctor Dialogi de causis corr. Eloq. c. 26. „Ceterum si omisso optimo illo et perfectissimo genere eloquentiae eligenda sit forma dicendi, malim hercule C. Gracchi impetum, aut L. Crassi maturitatem, quam *calamistros Maecenatis*, aut tinnitus Gallionis." Ad quem locum *Hess.*: „*Calamister*, s. *calamistra* s. *calamistrum* (de quibus formis vd. Meyer. ad Cic. Orat. 27, 78. Freund. Lex. Lat.) est acus major ferrea, quae calefacta et adhibita crispat capillos. Signif. translata dicitur de nimio orationis ornatu et ascita et fucata elegantia. Ruhnk. Schol. ad Suet. Caes. 56. Cic. Orat. l. l. *Tum removebitur omnis insignis ornatus quasi margaritarum, ne calamistri quidem adhibebuntur.* Brut. 75, 262. *calamistris inurere* (orationem) c. annott. Meyer. et Bernh. . . . . [cf. paullo ante ad v. *cincinnos.*] Recte autem calamistri traducuntur ad genus dicendi molle et delicatum et nimis quaesitum Maecenatis, qui, quod in vita luxuria diffluerat nimiaeque elegantiae et munditiae, quae viros non deceret, studiosus esset, a Romanis jure ac merito reprehensus ac vellicatus est, adeo ut Horatius ficticio nomine *Malchini* (al. *Malthini*) Sat. I, 2, 25. ejus mollitiem notaret: . . . . . Cf. *Meibomii* Maec. . . . *Lion* Maecenat. . . . *Eckstein* Prolegomm. in Taciti . . . Dial. de Oratt. Hal. Sax. 1835. 4. p. 57 et 63. *Westerm. Gesch. der röm. Beredsamk.* §. 84. *Manso verm. Abhandll.* p. 105." Adde ad quos ablegat *Walchenaer* T. I. p. 133. not. 1.

1) Ep. 114. „Commoti nimis (hominis) incitata (oratio est), delicati tenera et fluxa. Quod vides istos sequi, qui aut vellunt barbam, aut intervellunt: qui labra pressius tondent et abradunt, servata et submissa cetera parte: qui lacernas coloris improbi sumunt, qui perlucentem togam: qui nolunt facere quidquam, quod hominum oculis transire liceat. Irritant illos, et in se advertunt: volunt vel reprehendi, dum conspici. Talis est oratio Maecenatis, omniumque aliorum, qui non casu errant, sed scientes volentesque." Plures locos v. infra.

tersa; verba nova [1]) audacter facta, comparationes inauditae, verborum constructiones et collocationes inusitatae, artificiosa quaedam brevitas et sententiarum gravitas, affectata negligentia [2]). Aequales quoque poëticam facultatem Maecenatis parum pensi habuisse vel inde patet, quod fere de ea siluerunt. Quod fortasse propter modestiam hominis, sive ceterarum laudum copiam et ubertatem fecerunt. Propertius tamen puram laudat orationem; et ipsius Senecae, ut verbis utar Wolfii [3]), tam honorifica sunt de Maecenate judicia, ut iisdem quivis alius eorum, qui hodie noti sunt poëtae, ad laudem contentus esse deberet; Ovidius v. c. aut Lucanus [4]). Vitia quidem ejus non dissimulat idem Seneca, inter primos Latinae orationis corruptores numerans eum, sed simul eximiam scriptoris indolem extollit, ac diserte eidem *magnum, grande, virile ingenium* tribuit [5]).

Maecenatis quae supersunt [6]).

I. Carmina.

Fragmenta, quae primo loco apposui, *carminibus* adnumerari posse credo. Laudantur *carmina* expressis verbis a Servio et *liber decimus* a Charisio.

Servius Honoratus ad Virgilii Georgica, lib. II. v. 42. Vol. II. p. 233.:

Constat *Maecenatem* fuisse literarum peritum, et *plura* composuisse *carmina.* Nam etiam Augusti Caesaris gesta descripsit, quod testatur Horatius [7]) dicens: *Tuque pedestribus dicis (dices) historiis praelia Caesaris, Maecenas, melius, ductaque per vias Regum colla minacium (minantium)* [8]).

---

1) Auct. Eleg. v. 67. 68: *Mollius es solito mecum locutus, Et tibi consulto verba fuere nova.*

2) *Meiners, Geschichte des Verfalls der Sitten in Rom.* p. 148. 299 sq. *Blackwell.* V. 3. p. 457 sq.

3) l. supra Praefat. l. — 4) Locos v. infra.

5) cf. *Eichstädt*, de primo carmine Horatii iterum scripsit. Jen. 1843. 4. p. 22.

6) cf. *Frandsen* p. 161 sqq *Passow* p. XLV.

7) Carm. 2, 12, 9 sqq.

8) *Walckenaer* T. I. p. 508. Vid. tamen *Frandsen* p. 168. *Passow* Not. 130.

1. *Charisius* Institutt. Grammatt. lib. 1. p. 60 sq. ed. *Putsch.* p. 44. ed. *Lindem.*

„*Catinus* masculino genere dicitur; ut *Maecenas* in decimo:

Jugeribus, ait, *fumans calido cum farre catinus*" [1]).

2. *Seneca*, Epistola 101. *Fickert.* Vol. 1. p. 570.:

In spe viventibus proximum quodque tempus elabitur subitque aviditas et miserrimus ac miserrima omnia efficiens metus mortis. Inde illud *Maecenatis* turpissimum votum, quo et debilitatem non recusat, et deformitatem, et novissime acutam crucem, dummodo inter haec mala spiritus prorogetur:

Debilem facito manu,
Debilem pede, coxa,
Tuber adstrue gibberum,
Lubricos quate dentes:
Vita dum superest, bene est.
Hanc mihi, vel acuta
Si sedeam cruce, sustine.

Quod miserrimum erat, si incidisset, optatur; et tamquam vita petitur supplicii mora. Contemtissimum putarem, si vivere vellet usque ad crucem. Tu vero, inquit, me debilites licet, dum spiritus in corpore fracto et inutili maneat: depraves licet, dum monstroso et dissecto temporis aliquid accedat: suffigas licet, et acutam sessuro crucem subdas: est tanti, vulnus suum premere, et patibulo pendere destrictum, dum differat id quod est in malis optimum, supplicii finem. Est tanti, habere animam, ut agam. Quid huic optes, nisi deos faciles? Quid sibi vult ista carminis effeminati turpitudo? Quid timoris dementissimi pactio? Quid tam foeda vitae mendicatio? Cui putes unquam recitasse Virgilium,

Usque adeone mori miserum est?

Optat ultima malorum: et quae pati gravissimum est, extendi ac sustineri cupit. Qua mercede? Scilicet vitae longioris. Quid autem hujus vivere est? diu mori. Invenitur aliquis, qui velit inter supplicia tabescere, et

1) *Barth.* in Adversar. 3, 7. conjec.: *Gigeriis* pro *Jugeribus*.

perire membratim, et toties per stillicidia emittere animam, quam semel exhalare? Invenitur, qui velit adactus ad illud infelix lignum, jam debilis, jam pravus, et in foedum scapularum ac pectoris tuber elisus, cui multae moriendi causae etiam citra crucem fuerant, trahere animam tot tormenta tracturam [1])?

---

1) Justam Maecenatis defensionem a natura poëseos lyricae peti posse, recte ad h. l. annotavit *Ruhkopf.* p. 273. Ceterum hos Maecenatis versus *Scaliger.* in Epist. XXXIII. ad Pithoeum Ithyphallicos esse et sic constituendos censet:

Debilem — — — — — coxa
Tuber, adstrue — — dentes.
Vita — — — — — acuta
Subdas, — — — cruce. * *.

Versu secundo *coxa* non *costa* scribendum; v. *Goesii* not. ad Petron. c. 43. p. 197. *Debilis coxa, pede, manu* dicitur qui illis corporis partibus laesus est ac mutilus. v. *Burmann.* ad Anthol. Lat. V. III. p. 149. — V. 3. *Heins.* ad Ovid. Art. Am. II, 119.: Tuberi adstrue gibberem. — V. 7. *Si sedeam cruce, sustine* hab. omnes meliores libri. v. *Lips.* ad Senec. et Tacit. A. 14, 22. *Acidalius* in Epist. Critic. Centur. I. p. 334. rescribit:

Hanc mihi: (scil. da vitam) vel acutam
Subde. Sustineo crucem.

Salmas. de Foen. Trapez. p. 765.:

Hanc mihi, vel acuta
Subsidem cruce, sustine. — *Nicol. Heinsius:*
Haec mihi vel acutae
Subdat, sustineo, cruci. *vel:*
Hanc mihi vel acuta
Subdas, sustineo, cruce. (v. *Meibom.*) — *Oudend.:*

Sidens sustineam cruce, i. e. insidens ita ut deprimar, sustinere possim. — *Burmannus:*

Hanc mihi vel acuta

Si das, sustineo, cruce. i. e. Si vitam modo mihi das, vel in acuta cruce, sustineo. *Sustinere* est perpeti quaevis mala. v. *Burman.*, qui tamen h. l. malebat interpretari: *vitam protrahere.* — *Hand.* ad Gron. Diatr. in Stat. I. p. 188: Hanc mihi: vel acuta *Se det*, sustineo, cruce. I. e. Hanc mihi volo, etiamsi acuta cum cruce se det, et sustineo. — *Weber* ita vv. transtulit p. 148:

Mache (Schicksal?) lahm mich an meiner Hand,
Lahm am Fusse, der Hüfte:
Thürme bucklig den Höcker auf,
Lass ausfallen die Zähne:
Bleibt das Leben nur, ist es gut,
Diess erhalte mir, huckt' ich
Auf dem Kreuze sogar gepflöckt.

3. *Horatii Vita*, a *Suetonio*, ut fertur, conscripta, p. 14 sqq. ed. *Richter:*

Primo *Maecenati*, mox Augusto (Horatius) in gratiam insinuatus, non mediocrem in amborum amicitia locum tenuit. *Maecenas* quantopere eum dilexerit, satis testatur illo Epigrammate:

Ni te visceribus meis, Horati,
Plus jam diligo, tu tuum [1] *sodalem*
Ninnio [2] *videas strigosiorem* [3].

sed multo magis extremis judiciis, tali ad Augustum elogio: *Horatii Flacci, ut mei, esto memor.*

---

1) codd. ap. Vanderb. *tutum.*

2) iid. *nimio, ninno, ninio, mimo, minio, minno.*

3) In Anthologia veter. Latinor. Epigramm. et poëmat. lib. II, Ep. CCXXV. hi versus ita leguntur:

Ad Horatium. C. Maecenatis Cilnii Equitis Romani.
Ni te visceribus meis, Horati,
Jam plus diligo: tu tuum sodalem
Ninnio videas strigosiorem.

Hoc Epigramma, sicut etiam illud quod sequitur, videtur esse fragmentum lacerum carminis, ejusdem argumenti, ad Horatium absentem scripti. In eo latere aliquid suspicor, quo Flacco scribat, si diutius abesse pergat, et solum relinquat, ejus desiderio contabescentem Maecenatem, illum reducem visurum esse sodalem suum Ginno vel Ninnio strigosiorem, id est attenuato corpore instar jumenti defecti aut male curati macilentum. *Strigosus* enim proprium de jumentis aetate confectis, emeritis ac debilitatis esse verbum docet *Gronov.* ad Sueton. vitam Horat. — Metrum etiam suadet utrumque Epigramma ejusdem esse carminis, quod separatum etiam legitur apud *Pithoeum* lib. 1. p. 41 et 96. et *Scaliger.* p. 189 et 212. — Pro *Ninnio* vulgo legebatur: *Nimio* Ninnium sive Ninnum esse parvum equum, ostendit *Lindenbrog.*, cui accedit *Burmann.* *Nannius* lib. III. Miscell. c. 2., relictis membranarum lacunis ita edidit:

Plus jam diligo * Titum sodalem
* Minio videas strigosiorem.

quas divinatione temeraria supplere non ausum se fatetur. Neque etiam ausus fuit *Rutgersius*, in Venusin. Lectt. c. 30. *Vossius* de poët. Latin. c. 2. p. 21. *Ninnio* probat, et respexisse putat Maecenatem ad Ninnium poëtam istius temporis, propter macilentiam ridiculum, qui aliis Nimius vel Nunnius Crassus vocatur. cf. *Jani* ad Hor. vit. *Gronovius* ad Sueton. vitam Horat. legit: Tu Titii sodalis Ginno me videas strigosiorem. (ubi metrum exigeret: Titi) putatque *Titii sodalis Ginnum* sive equum aut mulum, pro male vivo ac macilento mulo dici, Maecenatemque respexisse ad quemdam ex Titiis sodalibus sacerdotibus vi-

4. Anthologia veter. Latinor. Epigramm. et Poëmat. Lib. II. Ep. CCXXIV. V. I. p. 412 sqq. ed. *Burmann.* [1])

„Ad Q. Horatium Flaccum C. Maecenas Cilnius Eques Romanus.

Lugent, o mea vita, te zmaragdus,
Beryllus quoque, Flacce, nec nitentes
Nuper, candida margarita, quaero,
Nec, quos Thynica lima perpolivit
Anellos, nec iaspios lapillos [2]).“

---

cinum suum, Horatio etiam notum, qui jumento parum curato ejus aedes crebro praetervehebatur. Sed haec nimis longe petita videntur *Burmanno*. *Nimio* vel *Mimo* legitur in editt. mendosis. *Ninnio* pro *hinnulo* dedit *Pithoeus*, *Minno Baxter*, *Mulo Baumg. Crus.* *Hinno me vid. strig.* exhibet *Masson*, in vita Hor. p. 368. *Hinnio*, vel *Ginnio* aut *Ginno me vid. strig.* conjecerat *Heinsius*. *Γίννιον* (a *γίννος*) est brevis mulus aut mannus, sive equus pumilus; v. quos excitavit *Burmann.* Add. *Vanderbourg*, *Odes d' Horace* T. I. p. XLVIII et LIX. not. 6. — *Weber* p. 184. Epigramma sic transtulit:

Mögest, lieb' ich, Horaz, bereits dich mehr nicht,
Als mein eigen Gekröss, du den Cumpanen
Seh'n dürrleckiger als ein dürres Maulthier.

1) cf. Anthol. Veter. Latt. Epigr. et Poem. ed. *H. Meyer.* 1835. qui liber mihi praesto non erat. *Bähr.* l. l. Vol. I. p. 498. *Areval.*, codd. secutus, ita edidit, quasi *Flacci*, non *Maecenatis* essent versus. cf. *Walckenaer* T. II. p. 469 sq.

2) Apud Isidorum Orig. lib. XIX, 32, 6. mendosissime exstant hi versus, prolixiore cura digni, tam in editione *Vulcanii* quam *Gothofredi*, hoc modo:

Lugente mea vita nec smaragdos
Berillosque mi Flacce, nec nitentes
Per candida margaritas quaero,
Nec cortinalis me perpolibit
Anulus, nec Iaspius capillus;

in quibus numeris, vere innumeris, quum neque sensus ullus, neque pes aut caput constent, mirum, quantum operae posuerint viri eruditi in perpoliendis tam paucis versibus, tanta mendorum colluvie obsitis. In antiquissimo Isidori codice Bibliothecae Leidensis, cui vetustum subjungitur Glossarium, ita legebantur:

Lucente mea vita nec smaragdos
Beryllosque mi Flacce nec nitentes
Percandida margarita quaero
Nec quos tinica lima perpolivit
Anellos, nec Iaspios lapillos.

Lud. Dorleans ad Tac. Annal. p. 538:

Lugens te, mea vita, nec smaragdos,

Berillosque, mi Fl., nec nitente
Spiro, candida marg. quaero,
Nec quos etc.

Scaliger in lib. I. catalect. p. 189. et *Pithoeus* lib. III. p. 96. ita fere ediderunt, ut exhibemus:

Nuper, candida margarita quaero,
Nec, (ap. *Pith.* vitiose Haec) quos Thynica etc.

Pithoeus vero ita emendabat:

Lugens te, mea vita, nec smaragdos,
Beryllos quoque, Flacce, nec nitentes,
Nec percandida margarita quaero,
Nec quos Thynica etc.

Turnebus Adversar. lib. XX. c. 2.:

Lugent te, mea vita, te smaragdus
Berillus quoque, Flacce; nec nitentes
Nunc per candida margarita quaero;
Nec quos Thynica etc.

Laudat *Turnebi* curiosae industriae experimentum, successum non item *Douza* in Commentar. ad Horat. c. 1. ita hoc Epigramma castigans:

Lugens te, (mea vita) nec smaragdos
Berillos mihi, Flacce, nec nitentes
Inter candida margarita quaero etc.

Berillos inter candida margarita enitentes fecit, mutuatus distinctionem a Pliniano artificio. Idem *Douza* fortasse rescribendum esse censuit:

Nec percandida (vel: praecandida m. q.)

Gulielmius Verosimilium lib. I. c. 6. ita emaculare conatus est hoc poëma:

Lugens te, mea vita, nec smaragdos,
Beryllos neque, Flacce, nec nitentes
Semper candida quaero margaritas;
Nec quos Thynica etc.

Notus mos, inquit, Romanorum ponendi in luctu annulos venustissime tangitur. *Margarita nitentes semper candida* sunt *candidae*, ut Virgil. dixit: *crebra fecit* pro *crebro*. — *Thom. Marcilius* ad Horat. p. 53. tentabat:

Lugens te, mea vita, nec smaragdos,
Beryllos neque, Flacce, pernitentes,
Nec mi candida margarita quaero.
Nec quos etc.

Torrentius vero ad Horat. Od. 2, 17, 9:

Lugens te, mea vita, nec smaragdos,
Beryllos neque, Flacce mi, nitentes, etc.

Scriverius in Anecdot. Philol. c. 74. legebat:

Beryllos quoque, Flacce, nec nitentes
Semper candida margarita quaero.

Idem in editionis Pithoeanae margine correxit:

Lucentes, mea vita, te smaragdos
Beryllos quoque, Flacce, etc.

His tamen virorum doctorum conjecturis praeferenda videtur *Alciati* emendatio, quam affert *Andr. Schottus* Observ. Human. lib. II. c. 60:

Lucentes, mea vita, nec smaragdos,
Beryllos mihi, Flacce, nec nitentes,
Nec praecandida margarita quaero.

Ubi *Covarruviam Lugenti*, et secundo versu *mihi mitte*, deleto *Flacci* nomine, maluisse addit; quo etiam expuncto *Pontanus* ad Macrob. Saturn. 2, 4. p. 612. ed. Lugd. conjiciebat:

Lugent, o mea vita, te smaragdus,
Berillus quoque et ipse; nec nitentes
Nuper, candida margarita, quaero.

sed in Omissis p. 688. ipse non multum huic hariolationi videtur tribuere. *Salmasius* ad Vopisc. Aurelian. c. 50. emendat:

Lucentes, mea vita, nec smaragdos:
Berillos, Flacce, nec nitentes:
Nec percandida etc.

Dempsterus in Etrur. Reg. 3, 28. p. 315:

Lugent te mea vita, nec smaragdus
Berillus quoque, Flacce, nec nitentes
Nunc per candida margarita quaero.

quem vero sensum haec constituant, nemo facile perspiciet. *Cannegieterus* ad Aviani fab. II. p. 22.:

Lugent o mea vita, te smaragdus,
Berillus quoque, Flacce; nec nitent, ut
Nuper, candida in margarita, quaero etc.

ubi *in* metro repudiatur.

Arev. et *Lindemann.* (Corp. Grammaticor. Lat. III. p. 613):

Lucentes, mea vita, nec smaragdos,
Berillos mihi, Flacce, nec nitentes,
Nec percandida margarita quaero,
Nec quos thynnica lima perpolivit
Anellos, neque iaspios lapillos.

Tot diversis tentaminibus locum dedit opinio, perversa licet, tamen ab omnibus fere recepta, qui Epigramma hoc a Maecenate in obitum Horatii scriptum crediderunt. At Horatius vita defunctus est post Maecenatem. cf. Sueton. vit. Hor. *Walckenaer* T. II. p. 565.; licet *Rutgers.* in Venus. Lect. p. 409. locum illum in dubium vocaverit, putetque Maecenatem Horatio supervixisse. Vid. supra p. 25. — *Massonius* in vita Horat. p. 369. amplectitur etiam *Alciati* emendationem, rejectis aliorum *Lugenti*, *lugent te*, vel *lugens te*, praesertim quum *mea vita* vix de amico jam mortuo dici possit. Et certe huic conjecturae adstipulatur cod. Ms. Isidori Leid., in quo *Lucente*. Sed licet ex his satis constet, ad obitum Flacci versus hos non referendos esse, difficile tamen est definire aut certi aliquid adfirmare, qua occasione eos amico scripserit Maecenas. Neque enim mirum est, sensum non patere apertum, quum plurima exciderint, quae acutissimi harioli sagacitati vix locum relinquant. Si tamen divinare liceat, fortasse est fragmentum lacerum carminis, ad Ho-

5. Anthologia veter. Latinor. Epigramm et Poëmat. Lib. I. Epigr. 53. V. I. p. 29. ed. *Burmann.*:

„Cybelae Matri.

Ades huc, ades Cybele, Dea montigena Dea,
Age tympano sonanti quate flexibile caput:
Latus horreat flagello, comitum chorus ululet [1]).“

---

ratium absentem scripti, quo impatientiam et desiderium suum amico procul degenti versiculis pro more mollioribus expresserit Maecenas, seque omnem cultum et ornatum, studiumque gemmarum deposuisse his indicet, neque amplius curare beryllos suos, zmaragdos, margarita, aut iaspides, quibus alio tempore delectabatur (cf. supr. p. 30.): quod optime rei ipsi convenit, quia amicos, quos prae ceteris diligebant, gemmis pretiosissimis non tantum comparari, sed et praeferri, apud veteres frequenter legitur. Id unice illustratur fragmento epistolae mollissimae Augusti ad Maecenatem, quibus verbis si non ad hoc ipsum Epigramma, saltem ad Maecenatis amorem erga gemmas, stylique ejus nimis discincti mollitiem respexit. V. p. 35. annot. 6. *zmaragdus* pro *smar.* scriptum auctoritate monumentorum veterum; id rectius esse monuit *Broukh.* ad Tibull. 1, 1, 5. 2, 4, 27. et ad Propert. 2, 13, 43. cf. *Kopp.* Palaeogr. I. p. 351. De margarito, genere neutro, v. quos laudavit *Burmannus.* Addo, *Gronov.* ad Senecae Med. v. 573. legere:

— nec smaragdos,
Beryllos mihi, Flacce, nec nitentes.

Walckenaer l. c. ita explicat et transfert: Si j'avais à pleurer ta perte, ô mon Flaccus! ô ma vie! que m'importeraient les émeraudes, les berilles, les plus blanches perles, les anneaux de jaspe les plus beaux, et les mieux polis.

1) *Barthius* Adversar. XVII, 3.: Nescio sane, inquit, an umquam dictum pictumve sit, magnam Deorum matrem monte genitam. Et si est, tamen inter praeconia ejus absurdum. Legendum putem: *montirega Dea;* quod vel Idae vel ejus partis Dindymorum vel omnium aliorum montium potius dominium significat. *Regendi* vero verbum ita corruptum est ut aliis certe plurimis scriptorum locis simili compositione cum *gerendi* sit substitutum. V. eundem in Ablegm. crit. III, 2. *Barthium* refutat *Tristan.* T. I. Comment. p. 702. et ex loco Arnobii ac Theodoreti vulgatam scripturam defendit. Apud Diomedem Grammaticum lib. III. p. 514. ed. *Putsch.* et Fortunatianum in Arte p. 2677. vario modo legitur primus versus; apud illum: *Ades Cybelle* (s. *Ades, inq.. o Cybelle*) *fere montium dea* (cf. *Scioppius* Susp. Lectt. Epist. 26.), apud hunc: *Ades, inquit, ô Cybele fera montium Deu* (cf. *Is. Voss.* ad Catull. p. 162.). *Heinsius* in charta quadam descripserat hoc fragmentum ex veteri Grammatico de versibus, qui Neapoli apud Thaeatinos exstat Ms., ubi ita legitur:

II. Tragoediae.

An jure quodam de Maecenatis *Tragoediis* sermo esse possit, dubitare licet. *Lange* in Vindiciis Tragoediae Romanae p. 11.: „Quod Maecenas tragicis accensetur [1]), acceptum, opinor, refert nonnisi inscriptionibus libellorum a se editorum, quorum alter Prometheus, alter Octavia. Verum quum Seneca [2]) Prometheum *librum* appellet, non *fabulam*, apud Priscianum autem vel lectio incerta sit, quum fragmentum ex hoc ipso libro decerptum galliambos magis quam tragoediam spiret [3]), Maecenatem ingenio, moribus ac stilo plane enervem ex tragicorum choro excludendum esse vix adhuc dubitabitur [4]).

Ades, inquit, ὁ Cybele fera montium Dea,
Ades, et sonante tympano quate flexibile caput.
Proximum sic latus horreat flagello, comitum chorus ululet; ubi illa: *Proximum sic* Grammatici versum hunc proferentis esse verba vidit *Burmannus* ad h. l. Idem conjiciebat: *turrigera Dea* (coll. Ovid. Fast. 4, 224. Propert. 3, 15, 35. Senec. Agamemn. 684.), vel cum *Schradero* legendum esse: *monticola Dea* (coll. Catull. 64. Virgil. Aen. 3, 3.), nisi cum Diomede et Fortunat. restituas:
Ades huc, ades Cybebe, fera montium Dea;
aut, si haec offendant, ita:
Ades huc, ades Cybebe Dea, montium age Dea,
Age tympano sonanti etc ; repetitionem illam elegantissimam esse ratus, coll. Catull. l. l. Vulgatum *montigena* tuebatur *Oudendorp.* coll. Diodori Sic. 3, 58. ὀρεῖα μήτηρ; Cornut. de Deor. Nat. c. 6. p. 16 ed. *Osann.* et Fulgent. Mythol. 3, 5. — *Cybebe* non *Cybele* scribendum esse intellexit jam Gudius ad Phaedr. Fab. 3, 20. Graece *Κυβήβη* dicitur vel *Κυβίλη*. v. quos laudavit ad h. l. *Burmann.* In fine pro *ululet* quidam *valeat* scriptum habent; male. Ad rem illustrandam comparant Appuleji lib. VIII. Miles.: Arrepto denique flagello etc. Ceterum hi versus Maecenatis habentur in *Pithoei* Anthol. I. p. 4. et in *Scaligeri* Catalect. p. 223 sq. *Both.* Scen. Poët. Lat. V. 5. P. 1. p. 273. qui legit: *Ades inq , o Cybelle .... Ades et sonante tympano* etc.

1) v. c. a *Passovio, Grundzüge der Gr. u. Röm. Literaturg.* p. 79. add. *Bähr* p. 87 ed. II. Vol. I. p. 137. et not. 11. ed. III.

2) v. fragm. 7. — 3) v. fragm. 6.

4) Add. *Bode in Gött. Gel. Anz* 1834. p. 1637. *Frandsen* p. 124 sq. 164.

6. *Priscianus* lib. 10. c. 8. T. 1. p. 505 et 574. ed. Krehl.

Pecto, cujus praeteritum plerique *pexui*, Asper tamen *pectivi*, Charisius *pexi* protulerunt. *Maecenas* in Octavia [1]):

Pexisti capillum naturae muneribus gratum [2]).

7. *Seneca*, Epistola 19, 8. *Fickert.* p. 82.:

Volo tibi hoc loco referre dictum *Maecenatis*, vera in ipso eculeo elocuti: *Ipsa enim altitudo attonat summa* [3]). Si quaeris, in quo libro dixerit, in eo qui *Prometheus* inscribitur. Hoc voluit dicere, attonita habet summa. Est ergo tanti ulla potentia, ut sit tibi tam ebrius sermo? Ingeniosus *vir* ille fuit magnum exemplum Romanae eloquentiae daturus, nisi illum enervasset felicitas, imo castrasset. Hic te exitus manet, nisi jam contrahes vela, nisi (quod *ille* sero voluit) terram leges. Poteram tecum hac *Maecenatis* sententia parem facere rationem, sed etc.

III. Augusti res gestae.

Augusti res gestas a Maecenate esse conscriptas ex Servii loco supra allato vidimus. Huc refero [4]) quae

8. *Plinius*, Nat. Hist. VII, 46. tradit:

---

1) *Krehl* in Ind. s. v. Maec.: in octavo? cf. fragm. 1. *Frandsen* p. 162.

2) *Scriverius* in collect. Vett. Tragicc. (ap. *Both.* Scen. Poët. Lat. V. 5. P. 1. p. 260.): „Dubitari potest, an *Octavia* nomen Tragoediae sit. Sane versus hic tragicus non est. Sed de *Prometheo* ejus, tragoediam inclino fuisse. Quae majoris indaginis sunt et curae, quam ut hic excuti possint." *Delrio* ap. Both. l. l.: „Profecto vel mendosus est Priscianus, vel Octavia cujuspiam recentioris est Maecenatis. Si *Melissi Maecenatis* contendas (v. Suet. de Ill. Gr. c. 21.), vicissim hanc Octaviam non tragoediam, sed comoediam fuisse contendam (cf. Ovid. Ex Ponto 4, 16, 30.). Verum putarim potius Cilnii Maecenatis *Octaviâ* infelix M. Antonii et Octaviae matrimonium descriptum; vel non fabulam, sed quid aliud; nam constanter Mss. Prisciani hab. *in Octaviam*." Unus cod. *Krehl.* in VIIII. et alius pro *gratum* habet *datum*.

3) sc. loca. Vid. tamen *Scheller.* s. v. *adtono* p. 388.

4) Vid. tamen *Frands.* p. 166. 167. 168.

In Divo quoque Augusto, quem universa mortalitas in hac censura [1]) nuncupat, si diligenter aestimentur cuncta, magna sortis humanae reperiantur volumina. Repulsa — proscriptionis invidia — Philippensi proelio morbus (Augusti), fuga, et triduo in palude aegroti, et (ut fatentur Agrippa et *Maecenas*) aqua subter cutem fusa turgidi latebra, etc. [2]).

9. *Plinius*, Nat. Hist. IX, 8.:

Divo Augusto principe, (Delphinus) Lucrinum lacum invectus, pauperis cujusdam puerum, ex Bajano Puteolos in ludum literarium itantem, cum meridiano immorans appellatum eum Simonis nomine, saepius fragmentis panis, quem ob id ferebat, allexisset, miro amore dilexit. Pigeret referre, ni res *Maecenatis*, et Fabiani, et Flavii Alfii (Alfii Aviti), multorumque esset literis mandata. Quocunque diei tempore inclamatus a puero, quamvis occultus atque abditus, ex imo advolabat: pastusque e manu praebebat ascensuro dorsum, pinnae aculeos velut vagina condens: receptumque Puteolos per magnum aequor in ludum ferebat, simili modo revehens pluribus annis; donec morbo exstincto puero, subinde ad consuetum locum ventitans, tristis et moerenti similis, ipse quoque (quod nemo dubitarit) desiderio exspiravit.

Hinc excerpsit C. Jul. *Solin. Polyhistor.* C. XII, 7:

Divo Augusto principe, in Campania delphinem puer fragmentis panis primo illexit, et in tantum consuetudo valuit, ut alendum se etiam manui ipsius crederet. Mox, quum prolusisset puerilis audacia, intra spatia eum Lucrini lacus vectitavit: unde effectum, ut a Bajano litore equitantem puerum Puteolos usque veheret. Hoc per annos plurimos tamdiu gestum, donec assiduo spectaculo desineret miraculum esse, quod gerebatur. Sed ubi obiit puer, sub oculis publicis desiderio ejus et moerore delphin interiit. Pigeret hoc asseverare, ni *Maecenatis* et Fabiani, multorumque praeterea esset literis comprehensum [3]).

---

1) *i. e. quum consendum, judicium ferendum est de felicitate.* — 2) cf. *Krause* de fontib. Sueton. p. 43.

3) cf. Gell. Noctt. Att. 7, 8. Aelian. V. H. 6, 15. — *Egger* p. 83. e *carminibus* haec fort. hausta esse suspicatur.

IV. De Cultu suo.

10. Si lectio certa est (vid. p. 49. ann. 1.), haec ii scriptio fuisse videtur carminis *de suae vitae ratione* quod suspicati sunt intpp. Senecae [1]).

1) v. *Ruhkopf.* p. 352. *Blackwell.* l. l. p. 461. cf. *Wa ckenaer* T. II. p. 351. *Frandsen* p. 166. *Fickert* Vol. I. p. 64 Add. *Wernsdorf.* P. L. M. VI, 1. p. 8 sq., cujus disputationei dignam censui, quam integram h. l. transcriberem: „Quod Cc lumella librum suum *Cultum hortorum* in titulo pariter, atqu ipso principio carminis inscripsit, id fortasse, si quorundam eru ditorum conjecturam sequimur, exemplo et imitatione *Maece natis* fecit, quem Seneca . . testatur librum scripsisse, cui titu lus *Cultus*, vel *de Cultu suo* fuit. Seneca ex eo quasdam pai ticulas et commata selecta producit, ut iis exemplis novitatei vel affectationem in oratione Maecenatis ostendat; quae Lipsiu quum non cohaererent, distinxit, et versiculos esse ex longioi uno carmine decerptos putavit. Andreas Rivinus in disputatior altera *de Maecenate, ut bono cive*, §. 15. assentit Lipsio, ca men fuisse Maecenatis *Cultum*, et praeterea persuadet sibi, t tulum eum non alium cultum notavisse, quam Hortorum, quc Maecenas in Exquiliis instituerit, repurgata a multis sordibus e regione, quae antea sepulcris servorum et miserorum destinat fuerat, ut praedicat Horatius Serm. I, 8, 7 sqq. Hortos eos no modo arboribus floribusque, sed et aedificiis, praesertim tur altissima, effosso in profundum alveo et ducto amne a se e: cultos, et ad omnem visus et prospectus, aliorumque sensuu voluptatem exornatos, Rivinus existimat, Maecenatem in *Cult suo* descripsisse, ejusque descriptionis vestigia in ipsis versicu lis a Seneca productis, sed paullum a se mutatis, reperit. Cei tum eidem est, ob hortum ita instructum Maronem Maecena Georgica sua dedicasse; neque enim temere ita ad eum incepiss

Quid faciat laetas segetes caet. *quis* cultus *habendo*
Sit pecori,

ubi profecto ad Cultum Maecenatis ipsi videtur respexisse. Me vero judicio haec ratio admodum levis est, quum *cultum* i principio Georgicorum non hortorum esse, sed curam rei pe cuariae, manifestum sit. Alia tamen loca Virgilii non negei reperiri, in quibus *cultus* vocabulum de cultu hortensi, et sigi latim de cura inserendi mutandique arbores, adhibuit, ut Geor II, 35 et 51. Et horum alterum locum, quem posterius cita vimus . . ., Rivinus ita intelligit, et firmandae opinioni sua accommodat, ut credat, Maronem eo Maecenatem alloqui, et a artes, quas ille ipse ad majorem arborum cultum adhibeat, i in *Cultu* suo descripserit, provocare. Loquitur de silvestribu arboribus inserendis:

. . . . *tamen haec quoque si quis*
Inserat, ... ,
Exuerint silvestrem animum: cultuque frequenti
In quascunque voces (Maecenas) ***artes, haud tarda sequentu***

Seneca, Epistola 114:

Quomodo *Maecenas* vixerit, notius est, quam ut narrari nunc debeat, quomodo ambulaverit, quam delicatus fuerit, quam cupierit videri, quam vitia sua latere noluerit. Quid ergo? non oratio ejus aeque soluta est, quam ipse discinctus? non tam insignita illius verba sunt, quam cultus, quam comitatus, quam domus, quam uxor? Magni ingenii vir fuerat, si illud egisset via rectiore, si non vitasset intelligi, si non etiam in oratione diffluueret. Videbis itaque eloquentiam ebrii hominis involutam, et errantem, et licentiae plenam. *Maecenas de* [1]) *cultu suo: Quid tur-*

Sed frustra hic Maecenatis appellationem quaeri, facile quis intelligat, qui *voces* impersonaliter accipiendum videat. Majori cum specie fidem opinioni suae conciliat Rivinus adducto versu Maronis Georg. II, 39, quo Maecenatem invocat, ut favorem operi suo praestet, quo nunc arborum vitiumque propagines docere aggrediatur:

Tuque ades, inceptumque una decurre laborem.

Hunc enim versum ita accipere videtur, quasi hortetur Maecenatem, ut, quemadmodum ipse in libro Georgicon, ita ille in libro instituto *de Cultu* artem et curam serendarum arborum exponere pergat, atque una secum, vel sociata opera, hunc laborem absolvat. His expositis si rationes Rivini valerent satis, colligendum inde esset, Maecenatem ante Columellam librum *de Cultu hortorum* versibus condidisse. Sed quamquam studiosissimum rei hortensis Maecenatem fuisse constat, quem multum in hortis ab se instructis sedisse refert auctor Elegiae de obitu Maec. v. 33 sq. et cui Virgilius Georgicorum libros et Sabinus Tiro .... *Κηπουρικὰ* .... dicavit; librum tamen ejus *de Cultu* solam hortorum culturam spectasse, argumentis, quibus Rivinus utitur, nondum evinci arbitror, neque Meibomius .... tale ejus argumentum suspicatus est. Ego fere existimaverim, Maecenatem eo libro universum vitae suae cultum, mores, acta, luxum, quae sciebat passim reprehendi, excusare voluisse, idque praecipue defendisse, quod campum Exquilinum, publicis antea usibus destinatum, hortis suis et aedificiis magnificis occupasset, ibique vitam desidem et luxuria diffluentem ageret."

1) Fuit qui legeret: *plenam, Maecenatis in c. suo.* h. e. videbis orationem dignam Maecenate, ita ut erat culto et diffluente. *Quid turpius: Amne* etc. Codd. pal. et Pintiani cum edd. vett. hab. *de c. suo.* Erasmus: *in c. s.* Quattuor voces *haec de c. s.* e margine intrusas esse putabat Gruter. Ceterum *Lipsius* omnia sic disposuit:

Commation primum de cymbis inter hortos:
Amne, silvisque ripa comantibus

pius, Amne, silvisque ripa comantibus? Vides ut alveum lintribus arent, versoque vado remittant hor-

Vides, ut alveum lintribus arent;
Versoque vado remi iciunt hortos.

Commation alterum Venereum:

Quid, si quis feminae cirro-crispata
Labris columbatur.

Tertium de Bacchabunda:

Incipitque suspirans, et cervice lapsa fanatur,
Nec more.

Quartum super tyrannide:

Tyranni irremediabilis factio
Rimantur epulis, lagenaque tentant
Domos, et saepe mortem exigunt.

Quintum:

Geniumque festo vix suo testem
Tenuis cerei fila, et crepacem molam,
Focum mater aut uxor investiunt.

Ruhkopf.: Ista omnia Senecae fuere obscura; quo magis nobis. *Amne — com.* i. e. quum amnis et silvae ripam contineant. Burmann. ad Anthol. V. 2. p. 657. legendum esse conjecit: *Amnem silvisque ripae com. Viridem alveum — Versoque* etc., i. e. aqua remis agitata hortos post se relinquant. Pro *remitt* Erasm. dedit *remittat*. I. Scalig. *versosque vado remigant*; Lips. *remi iciunt*, s. *iciant*. — Dein post *Quid* intellig. *turpius est*. *Cirro cr.* Lips. interpretatur: cujus cirri penduli crispantur et annullati sunt a calamistro. Idem ad *col.* (al. colubratur): nota oscula columbina. cf. Matius apud Gell. Noctt. Att. 20, 9. Martial. 12, 66. 1, 110. Muret. legit: *Femina cirro crispat;* Erasm. *feminae cirro crispat.* — Pro *feratur* Lips. *fanatur*, i. e. furit, insanit; unde fanatici. Alii: *ut cerv. lassa, lapsa sanantur, fanantur*; Erasm. in ora: *suaviantur*. Tum al. *nemore*, s *ne mori; nec more* praeferebat jam Lips. cum prioribus junctum, et de bacchantibus ultra morem explicat. Olim erat: *Nemo tyranni* etc. — Quae sequuntur, sunt super tyrannide irremediabili, implacabili, cujus satellites in conviviis et poculis insidiantur, et delationibus suis exitium struunt. — Deinceps describitur festum genii parcum; *tenuisve Cereris f.* dedit Scalig. (cum codd. et edd. exhibent: tenuisve Cerei, s. *Cere*) Intellig. farinam in molendino per fistulam manantem, quoniam tenuis ejus ductus, ut fili; implent farina et mola salsa focum litandi causa propter Genium. Qui *cerei* defendunt, cum Lips. explicant: lumen ibi tenue; cereus, vix ceratus. In fine Scalig. *investant*. Alias varr. lectt. v. ap. *Fickert*. l. l. — *La Grange* omnia ita reddit: *Est-il rien de plus pitoyable, que les tournures affectées dont*

tos. — Quid, si quis feminae cirro crispatae, et labris columbatur? Incipitque suspirans, ut cervice laxa feratur nec more. — Tyranni irremediabilis factio rimantur, epulis, lagenaque tentant domos, et saepe mortem exigunt. — Genium festo vix suo testem, tenuisve Cereris fila et crepacem molam focum mater aut uxor investiunt. — Non statim haec quum legeris, hoc tibi occurret, hunc esse, qui solutis tunicis in urbe semper incesserit? Nam etiam quum absentis partibus Caesaris fungeretur, signum a discincto petebatur. Hunc esse, qui in tribunali, in rostris, in omni publico coetu sic apparuerit, ut pallio velaretur caput, exclusis utrimque auribus, non aliter, quam in Mimo divite fugitivi solent? Hunc esse, cui, quum maxime civilibus bellis strepentibus, et solicita urbe et armata, comitatus hic fuerit in publico: spadones duo, magis tamen viri quam ipse? Hunc esse, qui uxorem millies duxit, quum unam habuerit? Haec verba tam improbe structa, tam negligenter abjecta, tam contra consuetudinem omnium posita, ostendunt, mores quoque non minus novos et pravos et singulares fuisse. Maxima laus illi tribuitur mansuetudinis: pepercit gladio, sanguine abstinuit: nec ulla alia re, quid posset, quam licentia ostendit. Hanc ipsam laudem suam corrupit istis orationis portentosissimae deliciis. Apparet enim mollem fuisse, non mitem. Hoc istae ambages compositionis, hoc verba transversa, hoc sensus magni quidem saepe, sed enervati dum exeunt, cuivis manifestum facient; motum illi felicitate nimia

---

Mécène se sert dans son traité de la parure? Il y parle, d'une rivière dont les rives font cortège aux forêts; de petites barques, qui labourent son lit; de rames, qui frappent des jardins renversés. Que dira t-on de ces lèvres qui pigeonnent une femme, dont les cheveux en boucles sont artistement frisés, et qui dit en soupirant, qu' on la porte sans déranger sa tête? Que penser de ces façons de parler: nul homme du tyran, une faction inguerissable: ils s' insinuent par les festins, ils tentent les maisons par les bouteilles, ils soutirent la mort. Que dire d'un génie, qui est à peine témoin de sa propre fête; d'une mère, ou d'une femme, qui habillent les fils ou la mèche d'un cierge; d'une masse de farine salée et pétillante?

caput; quod vitium hominis esse interdum, interdum temporis solet.

V. Incerta.

11. *Diomedes* l. p. 366. *Putsch.*

Necto, nexui vel nexi. Virgilius (Aen. 5, 425.): *palmas amborum innexuit armis.* Livius in Odyssea: *Nexabant multa inter se. Maecenas: — nexisti retia lecta* [1]).

12. *Attilius Fortunatianus* in Arte. p. 2677. *Putsch.*:

Si quis autem quaesierit, quid ita, quum sit Galliambicus versus, Iambici quoque nomen acceperit; hoc versu, qui est apud *Maecenatem*, lecto intelliget, eum ex iambico quoque nasci:

Hic nympha cingit omnis Acheloum senem [2]).

13. *Seneca*, Epistola 92. fin.:

Diserte *Maecenas* ait:

Nec tumulum curo, sepelit natura relictos.

Alte cinctum putes dixisse; habuit enim ingenium et grande et virile, nisi illud secundis discinxisset.

14. *Quintilianus*, Institutt. oratt. 9, 4, 28:

Quaedam vero transgressiones et longae sunt nimis, ut superioribus diximus libris, et interim etiam compositione vitiosae, quae in hoc ipsum petuntur, ut exultent atque lasciviant: quales illae Maecenatis: *Sole et aurora rubent plurima. — Inter sacra movit aqua fraxinos. — Ne exequias quidem unus inter miserrimos viderem meas* [3]).

---

1) al. *tecto*; leg. *lecto*. Pro *Maecenate* al. *Propertium* laudant. v. intpp. ad Propert. 3, 8, 37. p. 263. ed. Lachmann. Ad *carmina* pertinere hoc fragm. suspicatus est *Frandsen*. p. 161.

2) Scriverius in Tragicc. latt. reliquiis p. 157.: „Haec potius cothurni videntur, quam Prisciano laudata (ex Octavia); quamquam ex alio Maecenatis opere et poëmatio Matri Ideae sacro desumpta (cf. fragm. 5.) possunt videri; ex Galliambo puta." *Both.* Scen. Poët. l. l.: „Perperam Scriver. dedit *Acheloïum*, quod verbum Attilius genuino substituit ad effingendum galliambum."

3) *Plurima* est Ablat. et refer. ad *aurora*, quia trajectionum causa afferuntur exempla. — In secundo exemplo *inter*

15. *Seneca* de Beneficiis IV, 36.:
Si majus erit (promissum), non committam (quemadmodum *Maecenas* ait) ut sestertio centies objurgatus sim [1]).

16. *Donatus* vit. Virgil. 18, 71.:
Maecenas, *Quid*, inquit, *Virgili, satietatem homini non affert?* Omnium rerum, respondit (Virgilius), aut similitudo, aut multitudo stomachum facit praeter intelligere. Idem interrogavit: *Quo pacto quis altam felicemque fortunam servare potest?* Cui Maro: si, quantum honore ac divitiis aliis praestantior sit, tanta liberalitate et justitia alios superare nitatur.

17. Grammaticus [2]) ab *Hauptio* in calce Ovidii Halicuticorum etc. a. 1838. edit. [3]) p. 96. v. 1.:
Quirites singularem numerum non habet, nam *Maecenas* (cod. *micenas*) dixit Quaeritem, sed non recipitur. —
p. 101. v. 23.:
Tornum (cod. *Turnum*) generis masculini, ut *Maecenas* (cod. *micenas*) cardine (?) torno.

VI. Symposium [4]).

18. *Servius* ad Virgil. Aen. 8, 310. Vol. I. p. 471.:
Physici dicunt ex vino mobiliores oculos fieri. — — — Hoc etiam Maecenas in Symposio, ubi (cui?) Virgilius et Horatius interfuerunt, cum ex persona Mes-

---

pertinere videtur ad *frax. Spalding. inter* cum *movit* conjungit, s. *movit* intransitive accipiendum putat; sive legend. *manat. G. A. B. Wolffius* conjecit: *movetur.* — Ad exemplum tertium *Spalding.* haec fere annotavit: Hoc exemplum male me habet, eo, quod miserrimum dicitur, ne exequias quidem suas videre. An sententia occultum habet vel aculeum vel salem? Intelligerem, si, deleto *quidem*, scriberetur *non* post *ne.* — Ex *orationibus* haec excerpta esse suspicatur *Bähr* p. 487. ed. 2. coll. Suet. Aug. 86. Dialog. de c. c. el. 26. Senec. Ep. 114. et Macrob. II, 4.

1) Argute Maecenas nolle se objurgari tanto impendio, id est, rebus ipsis, non verbis. *Lips.*

2) Benignissime indigitavit C. *Fr. Hermannus*, V. Cel.

3) cf. *Haupt.* praef. p. XXVIII. — 4) *Frands.* p. 167.

salae de vino loqueretur, ait: ***Aut id e m uinor*** *[1]) ***ministrat faciles oculos, pulchriora reddit omnia, et dulcis juventae reducit bona.***

19. Huc spectant, quae Suidas adducit sub vv. *ἐγγώνιος*, et *Ἰόρτιος:*

Ἐγγώνιος τράπεζα, ἡ μὴ στρογγύλη, καὶ μὴ ἄγαν περιφερής. Ἐν τῷ συνδείπνῳ τοῦ Μαικήνα τράπεζα ἐγγώνιος ἦν ὑπὸ τῇ κλισίᾳ, τὸ μέγεθος μεγίστη, καὶ κάλλος ἄμαχος, καὶ οἷα εἰκὸς ἐπῄνουν ἄλλοι ἄλλως αὐτήν· ὁ δὲ Ἰόρτιος, οὐκ ἔχων, ὅτι παρ' ἑαυτοῦ τερατεύσασθαι, σιγῆς γενομένης, Ἐκεῖνο δὲ οὐκ ἐνοεῖτε, ὦ φίλοι συμπόται, ὡς στρογγύλη ἐστὶ καὶ ἄγαν περιφερής· ἐπὶ τοίνυν τῇ ἀκράτῳ κολακείᾳ, ὡς τὸ εἰκὸς, γέλως κατερράγη. Πλουτάρχος.

VII. Dialogi [2]).

20. ***Charis.*** Institutt. Gramm. lib. 1. sub fin. p. 119. ***Putsch.*** p. 84. ***Lind.:***

Volucrium Cicero; — ***Volucrum Maecenas*** in ***dialogo secundo.***

---

21. ***Plinius,*** Natur. Histor. lib. I. inter auctores librorum 32 et 37. etiam ***Maecenatem*** refert, sed quaenam sint, quae Plinius ex Maecenatis scriptis acceperit, non constat. Sermo in illis libris est ***de Aquatilibus*** et ***gemmis;*** unde de hisce scripsisse suspicati sunt.

Ut nihil fere omittam, quod ad Maecenatem spectat, hoc loco eos nomino, qui Maecenati suos libros dicaverunt; in his primum Augustum imperatorem [3]), Sabinum Tironem [4]), Cassium Severum [5]).

---

1) ***Fabr.*** legit: ***ait: Vinum;*** ***Bentlej.*** ad Horat. Carm. 3, 21, 13. conjecit, legendum esse: ait: ***Id et in vino est.*** Alii legunt: ***Idem humor min.***

2) Ad hos fort. pertinere etiam fr. 1 et 6. conjecit ***Frands.*** p. 163.

3) Plutarch. Vit. Demosth. et Cic. (Comparat. c. 3.): *ὡς αὐτὸς ὁ Καῖσαρ ἐν τοῖς πρὸς Ἀγρίππαν καὶ Μαικήναν ὑπομνήμασιν εἴρηκεν.*

4) Plin. N. H. 19, 57, fin. (10): ***Auctor est Sab. Tiro in libro Cepuricôn, quem Maecenati dicavit.*** cf. ***Egger*** p. 83.

5) v. Sosipat. Charis. 1. Priscian. 7, 11. T. I. p. 368. ***Voss.***

Ad Maecenatis fragmenta est fortasse qui Orationem ab eo ad Augustum habitam, a Dione (52, 14—42.) relatam, referre velit. Sed ita, ut apud hunc legitur, minime a Maecenate eam profectam dicere possis. Habet fortasse, quae ex ingenio atque ore amici Augusti fluxerint, et argumentum fere tale, quale probabiliter ab eo expositum est, sed omnis oratio rhetori Graeco magis debetur [1]). Laudibus justo majoribus extulit Barnevicius, in Boecleri Operib. T. 2. p. 710.: Oratio, ait, gravis est et castigata, sententiis ornatior, quam verbis. In ea vides curam honestatis, judicii gravitatem, in Augustum fidem, providentiam futurorum, cautionem et circumspectionem, notitiam status et temporum et ingeniorum.

§. 5. *De Maecenatis in literas Romanas meritis.*

Superest ut hac §pho de meritis, quae Maecenas in literas Romanas habuerit, breviter disseram. Singulari quadam fortuna accidit, ut ejus viri nomen in proverbium abiret, omnesque, qui literis adjuvandis operam darent, *Maecenates* appellarentur [2]). Atque neminem credo latent Maecenatis praestita literatis fere omnibus aetatis suae beneficia et intercessiones pro salute reipublicae literariae apud Augustum factae; qui quidem imperator sua sponte literarum studia vix curasset, nisi Maecenas eum excitasset, virosque dignos et benemeritos assidue enixeque commendasset. Amissa libertate elanguescere coeperunt literarum studia. Maecenati autem fere debemus poëtas maximos, Horatium et Virgilium [3]), qui ab eo ab interitu et vita miser-

---

de Historr. Latt. p. 109. ed. II. cf. *Harles* notitia literat. Rom. P. II. p. 354. *Fabric.* Bibl. Gr. V. 1. p. 685. ed. Harl.

1) cf. *Meiners* l. supra l. p. 15. not. o. *Heyne* ad Virg. Vitam Donat. 19, 78. *Franke* p. 153. *Matthes* p. 24 sq. *Frandsen* p. 85 sqq. *Egger* p. 290.

2) Martial. 8, 56, 5. *Sint*, ait, *Maecenates, non deerunt, Flacce, Marones. Tiraboschi, Storia* etc. V. 1. p. 178. *Weichert.* p. 420.

3) cf. Serv. ad Virg. Aen. Vol. I. p. 1. v. 2 et 5. a f. ad Buc. II, 15. Vol. II. p. 105.

rima, studiis parum idonea, defensi sunt, quique, grato animo commoti, pulcherrima ista atque praestantissima carmina, quibus quotidie summa voluptate afficimur, composuerunt [1]). Alios etiam magnopere promovit, nihilque non fecit, ut vitam eorum commodam redderet [2]). Mirum tamen, neque Tibullum neque Ovidium, clarissimos ejus tempestatis poëtas, mentionem Maecenatis facere; qui fortasse Maecenati ignoti, neque ab eo adjuti, non habebant, quare laudarent [3]). In causas vero si inquisiveris, quare poëtis maxime tantopere faverit Maecenas, eae quidem facile obviae fiunt. Ipse Maecenas eruditus erat, qui musico studio per omnem vitam deditus, licet negotiis districtus et occupatissimus, ipse carmina faciebat, atque edebat multa et artificiosa, in quibus cum paucis ejusdem aevi poëtis difficiliora metra tentaverat. Dein valetudine minus commoda usus, atque otii voluptatumque amans, in familiaritate, quam cum poëtis aliisque scriptoribus inibat, solatium quodammodo et recreationem habebat. Hinc in itineribus etiam viros doctos et amicos secum duxit [4]). Ad hoc gloriae si forte cupidus erat, poëtarum carminibus se celebratum iri probe intellexit [5]). Fuerunt autem non pauci, qui,

1) v. vitas Hor. in his *Walckenaer* I. p. 200 sqq. et Virg. Probus ad Virg. Georg. 3, 40. Vol. II. p. 367. ed. meae Serv.: *carmen agreste imperatum a Maecenate.* Sidonius Apollinaris in praef. Panegyric. ad Valer. Majorianum: *Et tibi, Flacce, acies Bruti Cassique sequuto, Carminis est auctor, qui fuit et veniae.* Intellig. *Maecenas.* Martial. 1, 108, 3. 4. *Otia da nobis, sed qualia fecerat olim Maecenas Flacco Virgilioque suo.* 8, 56, 23. *Ergo ero Virgilius, si munera Maecenatis Des mihi.* 11, 4, 10. *Et Maecenatem si mihi Roma daret.* 12, 4. 1. 2. *Quod Flacco, Varioque fuit, summoque Maroni, Maecenas.* Auctor Carm. ad Pison. 218 sqq. (ap. Wernsdorf. T. 4. p. 274 sq.): *Ipse* etc. (Virgilius) *Forsitan — Ignotus populis, si Maecenate careret, Qui tamen haud uni patefecit limina vati, Nec sua Virgilio permisit numina soli.*

2) Martial. 7, 28, 7. 8.: *Et Maecenati Maro cum cantaret Alexin, nota tamen Marsi fusca Melaenis erat.* Auctor Carm. ad Pison. 226.: *Maecenas tragico quatientem pulpita caestu (gressu) Evexit Varium.* V. supra et *Lange* Vindic. Trag. Roman. p. 5.

3) *Tiraboschi*, V. 1. p. 136. — 4) Horat. Serm. 1, 5.

5) *Tiraboschi* p. 140 et 178 sq.

Senecae judicio nimis multum tribuentes, corruptorem eloquentiae Maecenatem dicerent [1]). Quod miror. Quamquam enim eum, qui in summo fere fortunae fastigio collocatus erat, magnam in literas vim habere potuisse non negaverim, tamen quomodo in eloquentiam corrumpendam habuerit vim Maecenas, qui quidem sensu strictiori tantum oratoribus annumerari possit [2]), non intelligo [3]). Licet vero beneficia, quae in multos homines contulit, et facili negotio in tali fortuna et rerum suarum conditione conferre potuit, non tanti faciam, ut eum propterea summum literarum fautorem dicam, quippe cujus plurimum interesset, non solum favere literis, sed viros hilares, bonos sodales circum se coactos habere, quique idcirco praemiis eosdem afficiebat, quod alii quoque multi fecerunt [4]), voluntatem tamen, animi benignitatem et studium nescio quod literarum promovendarum ei jure quodam suo denegari posse vix ac ne vix quidem existimaverim.

---

1) *Gédoyn*, in Praefatione ad Quintil.

2) cf. *Westermann*. l. l. p. 281. et *Bähr*. l. l. Vol. II. p. 313.

3) *Tiraboschi* p. 205. — 4) v. *Wieland*. l. l.

Index scriptorum,

unde Tironis et Maecenatis fragmenta hausta sunt.

Asconius Pedianus . . . . . pag. 6.
Cassius Dio . . . . . — 55.
Charisius . . . . . — 8. 38. 54.
Cicero . . . . . — 12.
Dialogus de Oratorib. . . . — 6.
Diomedes Grammaticus . . — 44. annot. 1. 52.
Donatus . . . . . — 53.
Fortunatianus . . . . . — 44. annot. 1. 52.
Gellius . . . . . — 6. 7. 8. 9. 12.
Grammaticus vetus . . . . — 44. annot. 1.
— — alius . . . . — 53.
Isidorus . . . . . — 41. annot. 2.
Macrobius . . . . . — 7.
Plinius major . . . . . — 46. 47. 54.
Plutarchus . . . . . — 7.
Priscianus . . . . . — 46.
Quintilianus . . . . . — 7. 52.
Schol. Bob. . . . . — 7.
Seneca philos. . . . . — 38. 46. 48 sqq. 52. 53
Servius ad Virg. . . . . — 37. 53.
Solinus . . . . . — 47.
Suetonius . . . . . — 40.
Suidas . . . . . — 54.

Typis impressit E. A. Huth.



Lt 12.8
Tironiana et Maecenatiana, sive, M.
Widener Library 006741169
3 2044 085 240 133